Flos regnorum
seu compendiosa
Poloniae, orbisque
totius descriptio

1727

Varsoviae 1732
typ. Soc. Jes.

Drews Joannes S. J.

Flos regnorum seu Compendiosa Poloniae orbisque totius descriptio

Varsaviae.

typis Collegii Soc. Jes.

~~1732~~ (vel 1727)

Dedykacya Udalrico Radziwill

DEDICATIO

CUi competentiùs FLOS REGNORUM, offerri potuit, quàm Tibi

bi FLOS PRINCI-
PUM Literariæquè Ju-
ventutis venustissime,
Celsissime S.R.I. Prin-
ceps, Mecænas Co-
lendissime. Jam non
quærat Mantuanus
Vates, ubi nam Inscri-
pti Nomina Regum
Flores nascantur, dum
Palemonius Orbis ta-
les in tota Celsissima
RADIVILIANA

 Prosa-

Proſapia, cunctis ad admirationem propo-nit, in qua non modò Regum & Principum Europæ, ſed & ipſo-rum Auguſtiſſimorum Cæſarum Colligati ni-teſcunt ſplendores. Fulgent hic JA-CELLONICI tot Regum Poloniæ MA-NIPULI; WISNIO-WIECCIANA in Co-

rona-

ronato MIHAELE Sidera; SOBIESCIANUS in JOANNE tertio Coronatorum àpice, Fortunatiſſimo Potentiſſimo & Sapientiſſimo Rege radiat Clypeus. Prætereo tot Principum Mitras, tot Mareſchallorũ Scipiones, tot Cancellariorum Sigilla, tot Ducum Clavas, tot Sena-

 torum

torum Curules; quibus comprehendendis non iam exigua folia, ſed ne quidem ingentia ſufficerent volumina. Unum tamen ſilentio præterire nefas eſt Celſiſſimum Principem GENITOREM Tuum; Illũ inquã Magnis Maiorem, Maximis Parem *Paribus Galliæ,*

Infan-

Infantibus Hiſpa-
niæ, & omnibus *Prin-
cipibus Europæ* NI-
COLAUM *Enſife-
rum M. D. L.* re &
Nomine *Victorem Po-
pulorum.* Illum NI-
COLAUM, Gemmā
Principum, Columen
Patriæ, Heroicarum
Virtutum Normam,
Fortitudinis prodigiū,
Muſarum delicium.

Verùm & à Celſiſſima *GENITRICE TUA*, omni Virtutum genere Cultiſſima BARBARA; Heroinarum omnium præſtantiſſima Heroina, ingentes in Te *Celſiſſime Princeps* derivantur ſplendores. Extinxit Jlla, gratioſiſſima ſua Venuſtate, omnes *Pulcheriarum* Formas;

Pru-

Prudentiâ superavit *Aspasiarum* Sapientiam, invicta animi Fortitudine debilitavit *Juditharum* & *Deborarum* robur, Humanitate ac Liberalitate planè Reginali præcessit munificentiam *Elisabetharum*. Ac quod inter omnia summam Jlli affert gloriam, ea in summũ

NU-

NUMEN, Pretiosissi-
namq; DEI Parentē,
Cælitesq; omnes, fla-
grat pietate, ut pien-
tissimis etiam palmam
præripiat, ac velut in-
ter stellas radiet Luna
minores Addis & tu
Magne UDALRI-
CE his Celsissimorum
PARENTUM Tuo-
rum Splendoribꝰ non
modicam lucem, dum
ea

ea eximiarũ Virtutũ iu
Te præbes specimina
ut vivacissimã, in Te
Casimiri, *Aloysii* &
Kostcæ exhibeas ima-
ginẽ. Præis Nobilissi-
mæ Juventuti Litera-
riæ, ea Probitatis, De-
missionis Modestiæ,
Affabilitatis exhibens
exempla, ut mirabili
Magnetica Vi, ad imi-
tationẽ pellicias trahas
que universos. Suscipe

ergo hunc Florem Li.
terarium Celsissime
PRINCEPS, qui ut
semper florētissimam
Heroicis Virtutibus,
summis in Patria Honoribus, & vegeta
semper valetudine ducas ætatem, cordialiter precatur.

CELSITUDINI VESTRÆ addictissima & Obligatissima
*Typographia Coll: Regij Varsav.
Societatis JESU.*

Imprimatur
JOANNES
TARŁO
Episcopus Posn-
ensis.

SUPPETIÆ LITERARJÆ.

REgnum dividitur in Hierarchiam, Monarchiam, Ariſtocratiam, Democratiam. Regnum Poloniæ conditum Anno Salutis, 550. Anno bis Jubilæo, id eſt bis libero. Unde durat iam annis mille centum ſexaginta ſeptem, Reſpublica Polona conſtat tribus Ordinibus, penes Regem dignitas, penes Senatum authoritas, penes Equeſtrem Ordinem libertas. Polonia poſt Chocimenſe cum Turcis b[illegible]n, à Summo Pontifice appellata [illegible] Antemurale Chriſtianitatis. Opalińſki in Polonia defenſa.

SERIES REGUM POLONIÆ.

LEchus ımus. Viſimirus Lechi nepos. Palatini Duodecem. Cracus, ſeu Crachus. Lechus 2dus Craci Filius. Venda Craci Filia. Palatini XII. iterum. Præmiſlaus, ſeu Le-

ſco 1mus. Leſco fraudulentus, Leſco ſecundus.

Leſco 3tius. Popielus 1mus Popielus 2dus. Piaſtus Cruſvicenſis villicus. Ziemovitus Piaſti Filius. Leſco 4tus, Ziemoviti Filius. Zemomiſlus Leſconis 4ti, Filius Orthodoxus.

Mieciſlaus I. Chriſtianus Princeps. Boleſlaus Chrobri I. Rex Poloniæ. Mieciſlaus II. Boleſlai Filius. Caſimirus I. Mieciſlai Filius. Boleſlaus II. Audax. Vladiſlaus Hermanus. Boleſlaus Crivouſtus. Vladiſlaus II. Crivouſti Filius. Boleſlaus Criſpus. Mieciſlaus Senex, Frater Criſpi. Caſimirus Juſtus. Leſco Albus. Boleſlaus Pudicus. Leſco Niger ex Duce Sieradienſi. Præmiſlaus II. Venceſlaus Bohemus. Vladiſlaus Locticus. Caſimirus Magnus. Ludovicus Hungarus. Vladiſlaus Jagello. Vladiſlaus III. Jagellonides. Caſimi-

rus

rus Vladislai Frater. Joannes Albertus Casimiri Filius. Alexander 1mus. Joannis Alberti Filius, Sigismundus 1mus. Sigismundus Augustus. Henricus Valesius Rex Galliarum. Stephanus Battory Princeps Transylvaniæ. Sigismundus III. Joannis Sveciæ Regis Filius. Vladislaus IV. Sigismundi Filius. Joannes Casimirus Vladislai Frater. Michâel Korybuth Wiśniowieccius. Joannes III. Augustus II. Principes subditis suis imperant: Ratio status etiam Principibus; Principes circumveniri possunt, ratio status nunquam. Arnodus.

SENATORES SACRI COLLEGIJ.

Archi-Episcopus Gneznensis, & Primas Regni, Archi-Episcopus Leopoliensis.

EPISCOPI.

Cracoviensis in minori Polonia. *Cu-*

lavienſis, qui & *Vladiſlavienſis*, & *Pomeraniæ* Epiſcopus, dicitur in maiore Polonia.

Vilnenſis in Lithvania.	alternat.
Poſnanienſis in Pol: maiore.	
Plocenſis in Maſovia.	
Varmienſis in Pruſſia.	alternat.
Luceorienſis in Volhynia.	

Præmiſlienſis in Ruſſia Rubra.
Samogitiæ ſive *Mednicenſis*.
Culmenſis in Pruſſia.
Chelmenſis in Ruſſia Rubra.
Kiiovienſis & *Czernichovienſis* ad Boriſt. *Camenecenſis* in Podolia.
Smolenſcenſis in Ruſſia Alba.
Livoniæ & *Piltinenſis*.

SENATORES ſæcularis Subſellij.

Caſtellanus *Cracovienſis*.

Palatini.	*Cracovienſis.*	alternatio inter hos obtinet.
	Poſnanienſis.	
	Vilnenſis.	
	Sendomirienſis.	

Caſtel-

Castellanus *Vilnensis.*
Palatini. *Calissiensis.*
Trocensis.
Siradicensis.
Castellanus *Trocensis.*
Palatinus *Lenciciensis.*
Capitaneus *Samogitiæ.*
Palatini. *Brestensis.*
Kiioviensis.
Inowladislaviensis.
Russiæ, qui antea diceba-
Volhyniæ (tur Leopoliēsis.
Podoliæ, qui antea dicebatur
Smolenscensis. (Camenecēsis.
Lublinensis.
Polocensis.
Belzensis.
Novogrodensis.
Plocensis.
Vitepscensis.
Masoviæ, qui antea vocaba-
Podlachiæ, (tur Czernensis.

Ravensis.
Brzescensis.
Culmensis.
Mścislaviensis.
Mariæburgensis.
Braclaviensis.
Pomeraniæ.
Minscensis.
Czernichoviensis, Livoniæ.

Castellani Maiores sunt sequentes:

Posnaniensis.
Sendomiriensis.
Calissiensis.
Voynicensis.
Gnesnensis.
Siradicensis.
Lenciciensis.
Samogitiæ.
Brestensis.
Kiioviensis.
Inowlodislaviensis.
Leopoliensis.

Wolhyniæ.
Camenecensis.
Smolenscensis.
Lublinensis.
Polocensis.
Belzensis.
Novogrodensis.
Plocensis.
Vitepscensis.
Cernensis.
Podlachiæ,
Ravensis.
Brzesciensis.
Culmensis.
Mśćislaviensis.
Elbingensis.
Braclaviensis.
Gedanensis.
Minscensis.
Czernichoviensis, Livoniæ.

Castellani minores, qui tantùm in Maiori Minoriq; Polonia, Masovia,

& Palatinatu Russiæ reperiuntur, sunt sequentes.

Sandecensis.
Medirecensis.
Visliciensis.
Biecensis.
Rogosnensis.
Radomicensis.
Zawichostensis.
Lendensis.
S[illegible]emensis.
Zarnoviensis
Malogostensis.
Vielunensis.
Præmysliensis.
Haliciensis.
Sanocensis.
Chelmensis.
Dobrinensis.
Polanicensis.
Præmetensis.
Krivinensis.

Czecha.

Czechoviensis.
Naclensis.
Rospiriensis.
Biechoviensis.
Bidgostiensis.
Bresinensis.
Krusviciensis.
Oswiecimiensis.
Camenensis.
Spicimiriensis.
Inovlodensis.
Kovaliensis.
Santocensis.
Sochaczevensis.
Varsaviensis.
Gostinensis.
Visnensis.
Raciecensis.
Sierpcensis.
Wysogrodensis.
Ripinensis.
Zakrocimensis.

Ciechanoviensis. *Livensis.*
Slonscensis. *Lubaczoviensis.*
Konariensis Terræ Siradiæ.
Konariensis Terræ Lenciciæ.
Konariensis Terræ Cuiaviæ.

OFFICIALES

Ut vocantur, Regni, & Magni Ducatûs Lithvaniæ.

Marschalcus Regni Supremus.
Marschalcus M. D. Lithvaniæ,
Supremus Cancellarius Regni,
Supremus Cancellarius M. D. Lithv.
ProCancellarius Regni.
ProCancellarius M. D. Lithvaniæ.
Thesaurarius Regni.
Thesaurarius M. D. Lithvaniæ.
Marschalcus Curiæ Regni.
Marschalcus Curiæ M. D. Lithvan.

ORDO sequens Magistratuũ Regni, & M. D. Lithv: ut & Aulæ Regiæ.

Secretarius Regni Maior.
Secretarius Maior Magni Duc. Lithv.

Referen.

Referendarius Regni Spiritualis.
Referendarius Magni Ducatûs Lithvaniæ Spiritualis.
Referendarius Regni ſecularis.
Referendarius M. D. Lithv. ſecularis.
Exercituum Regni Dux generalis.
Exercituum M. D. L. Dux generalis.
Exercituum Regni Dux Campeſtris.
Exercituum M. D. Lit. Dux Campeſtr.
Succamerarius Regni,
Succamerarius M. Ducatûs Lithvaniæ.
Theſaurarius Curiæ Regni.
Theſaurarius Curiæ M. D. Lithvaniæ.
Theſaurarius Terrarum Pruſſiæ.
Vexillifer Regni.
Vexillifer M. Duc. Lithvaniæ.
Enſifer Regni,
Enſifer M. Duc: Lithvaniæ.
Præfectus Stabuli Regni.
Præfectus Stabuli M. Duc: Lithvan:
Culinæ Regni Præfectus.
Culinæ M. Duc: Lithvaniæ Præfectus.

Pocillator Regni.
Pocillator Magni Ducatûs Lithvaniæ.
Incisor Regni.
Incisor Magni Ducatûs Lithvaniæ.
Dapifer Regni.
Dapifer Magni Ducatûs Lithvaniæ.
Subdapifer Regni.
Subdapifer Magni Ducatûs Lithvan.
Pincerna Regni.
Pincerna Magni Ducatûs Lithvaniæ.
Notarius Campestris Regni.
Notarius Campestris M. D. Lithvan:
Magister Artilleriæ Regni.
Magister Artilleriæ M- Duc: Lithv.
Castronum Regni Præfectus.
Castrorum Magni D. Lit: Præfectus.
Præfectus Vigilium Regni.
Præfectus Vigilium M. Duc: Lithvan.
Regens Cancellariæ Maioris Regni.
Regens Cancellariæ Maioris M. D. L.
Regens Cancellariæ Minoris Regni.
Regens Cancellariæ Minoris M. D. L.

Notarij

Notarij 4. duo Regni, & duo M. D. L.
Instigator Regni,
Instigator Magni Ducatûs Lithvaniæ.

Notarius Decretorum Cancellariæ Regni	qui habent suos Regentes.

Notarius Decretorú Cancellariæ M. D. Litv.
Vice Instigator Regni.
Vice Instigator Magni Ducatûs Lithv.
Venator Regni primarius.
Venator M. Ducatûs Lit: primarius,
Notarius Thesauri Regni Supremus.
Vexillifer Curiæ Regni.
Vexillifer Curiæ Magni Duc: Lithv.
Præfectus Curruum Regni.
Præfectus Curruum M. D. Lithván.
Vice Præfectus Stabuli Regni.
Vice Præfectus Stabuli M. Duc: Lit.

ANATOMIA REGNI.

I. POlonia Maior, ad quam pertinent Posnaniensis, Calissiensis, Lanci-

Lanciciensis, Brestensis, Inovladislaviensis, Siradicensis, Ravensis Palatinatus, ut & Vielunensis, & Dobrinensis Terræ. MINOR POLONIA, ad quam Cracoviensis, Sendomiriensis, & Lublinensis Palatinatus pertinent, ut & Oswiecimensis, Zatoriensis, & Severiensis Ducatus, nec non Comitatus Scepusiensis. III. LITHVANIA, in qua tres numerantur Palatinatus; nempe Vilnensis, Trocensis, & Brzescianensis. IV. MASOVIA, quo referetur Masoviæ, Plocensis & Podlachiæ Palatinatus. V. PRUSSIA REGIA in tres divisa Palatinatus: nimirum Culmensem, Mariæburgensem & Pomeraniæ. Ad Prussiam pertinet etiam Episcopatus Varmiensis. VI. SAMOGITIA, quæ nullos habet Palatinatus, sed subest Gubernatori, sive Capitaneo. VII. RUSSIA Alba, quæ Magno Mo-

ſcoviæ Ducatui adiacet, habetque Novogrodenſem, Mſciſlavienſem, Vitepſcenſem, Polocenſem, Smolenſcenſem, Czernichovienſem, Kiiovienſem Palatinatus, ex quibus Palatinatibus multa adhuc poſſidet Magnus Dux Moſcoviæ durantibus induciis. VIII. RUSSIA Rubra, quo pertinent, Ruſſiæ, Podoliæ, Volhiniæ, Belzenſis & Braclavienſis Palatinatus. Ex his Braclavienſem, Kiiovienſem, & Czernichovienſem Palatinatus vocat Ukrainam. Tandem IX. pertinet quoque ad Imperium Polonicum Livoniæ pars Auſtralis. Conſuli hic poteſt Martin: Cromer: *lib.* 1. *Deſcrip: Polon: pag:* 41. *ſeq.* Starovolſcius *in Polonia ſua*, & alii Geographi.

II. Deinde ſolet etiam Imperium Polonicum dividi generaliſſimè in POLONIAM, & MAGNUM DU-

CATUM LITHVANIÆ, & Populus ipse dividitur in duas gentes, Polonicam & Lithvanicam. Item Senatores, aliique Magistratus maiores dicuntur esse duarum gentium, nimirum Polonici & Lithvanici. Et hac ratione ad POLONIAM pertinent, præter Maiorem Minoremq; Poloniam, Prussiam & Masoviam, de quibus superiore numero actum est; etiam Russiæ, Belzensis, Podoliæ, Braclaviæ, Volhyniæ, Kiioviæ. Czernichoviæque Palatinatus. *Vid. volumen Constitutionum Andr: Petricovij fol: 149. seq. & Constitut. Anno 1635. tit. Ordinacya Woiewodztwa Czernichowskiego.* Ad LITHVANIAM pertinent Lithvania in specie ita dicta, Samogitia, ut & Novogrodecensis, Mscislaviensis, Minscensis, Polocensis, Vitepscēsis & Smolēscensis Palatinatus. Sed LIVONIA utrique

que

que genti, & Polonicæ & Litvanæ, communis facta est per Constitutiones de *An.* 1569. *fol.* 182. *An.* 1589. *fol.* 507. *seq. An,* 1598. *fol,* 208. *seq.*

III. Dividitur etiam Polonicum Imperium alio respectu in tres Gentes, nimirum in MINOREM POLONIAM, MAJOREM POLONIAM, & MAGNUM DUCATUM LITHVANIÆ. Usus huius divisionis conspicitur maximè in Comitiis, quando eligendus est Marschalcus Nunciorum, sive Delegatorum Provincialium Director. Ille enim semel ex minori, deinde in sequentibus Comitiis ex maiori, & tertiis in Comitiis ex Lithvania eligitur. Est etiam huius divisionis usus in variis Commissionibus, quando quidam designandi sunt ad negotia, quæ ad totam Rempublicam pertinent, expedienda. Item eadem ratione divi-

ditur

ditur Polonia ratione Sumnorum Tribunalium.

SIGNACULUM ERUDITÆ ANTIQVITATIS.

Adolescentiæ signum prætexta; *Ægroti* Gallum vovere Æsculapio.
Belli, Jani templum apertum, Sagum.
Comessationis, hedera redimiri, coronare crateres.
Castitatis, Cereris vittas contingere digna.
Damnationis, nigrum theta præfigere, atro notare calculo.
Desperationis, hastâ, clypeû abiicere
Diei felicis, candido calculo, meliore lapillo notandus.
Effæminati, coronare se myrto. Per Junonem iurare.
Ebrietatis, Hedera, thyrsus Bachi.
Fugæ, volam pedis ostendere.
Functionis absolutæ, Lampada tradere
Gaudij, manus complodere, seu vol volam percutere. *Hono-*

Honorem petentis, candidâ stolâ indui, fascia crus obligare.
Implorantis opē, manus in cælū tollere.
Infamis mortis, Gemoniæ scalæ.
Infelicitatis, in Seiano equo equitare.
Laudati Oratoris, os populi meruisse, & cedro digna locutum.
Legati, caduceum.
Libertatis, ad pileum vocari, annulo donari, servilem comam ponere, Saturnalia celebrare.
Luxus, Rosas hybernas miscere mero.
Mancipij, crinem intonsum alere, cretatos habere pedes, literatæ v. stigmaticæ frontis esse, nam *Romani* literas, *Syracusani* equum, *Athenienses*, navim, *Samij* noctuam suis mancipiis in fronte inurebant; demum catasta, cippus & hasta, sub qua vendebantur.
Militiæ, Sagum, signa sequi, martiali præcingi baltheo, castrorum æra mereri.

Mor-

Mortis, Cupressus, Taxus, sandapila, videre domi vespilonem.
Naufragi, tabulam è pectore gestare.
Nobilitatis, apud *Romanos*, annulus, & lunulæ in calceamentis, item atria Avorum imaginibus plena, item bulla aurea de pectore pendula; apud *Athenienses* cicada aurea, pileis præfixa; apud *Ægyptios* Vulturum alæ foribus præfixæ; apud *Galatas* spolia hostili sangvine tincta, & capita trunca foribus appensa.
Nobilitatis priscæ, fumosæ Maiorum imagines.
Pacis, Jani Templum clausum, toga, olea.
Pœnæ, soluti fasces, vibratæ secures, gladii, &c.
Philosophi, pallium, stoicum supercilium.
Quieti maris, Alcyonum nidificatio.
Rebellionis, Juvenis armatus, sinistrâ scutum

ſcutum, dextrâ gladium tenens, ad pedes iugum fractum.
Sapientiæ, Cleanthis lucerna, libri, circini, &c.
Scenæ ridiculæ. & *iocorum*, Soccus Comicus.
Scenæ triſtis, Tragicus cothurnus,
Senatorij honoris, Palmata toga, Latus clavus, Palatini faſces.
Supplicationis, ad Deorum pulvinaria ſterni.
Triumphantis & *victoris*, albis quadrigis invehi, aſcendere Capitolium, Signa ſuſpendere Jovi Feretrio. Toga picta, palmata tunica, Laurus & variæ Coronæ. *Oleagina* ob fugatum hoſtem; *Navalis*, *Roſtrata*, ob victoriam in mari, *Civica* ex quercu, ob ſervatam Patriam.
Obſidionalis, ex gramine ob ſolutam obſidionem.
Muralis turrita, illi, qui primus murum

rum hostilem conscendit. *Castrensis*, ex auro, illi, qui castra primus invasit. *Ovalis*, ex mirto, ob debellatos pyratas, ac rebellionem servorum compressam.
Veri & gravis dicti, Sibillæ folium recitare.
Venditionis, hastæ subiicere, sub corona vendere.
Victi, herbam porrigere, sub iugum mitti.

HERCYNIA ERUDITA.

Apollini, Sacra Laurus, Oleaster & Lotos.
Baccho, vitis, hedera, pâpinus, thyrsi
Cereri, Quercus, fruges, spicæ, papaver
Dianæ, Lucus quivis, dictamnum, quo sibi medentur cervi.
Furijs, rhamnus, seu spinæ, iuniperus, taxus.
Fauno, pinus; *Genio*, platanus; *Herculi*, populus; *Iovi*, quercus, ilex, esculus, seu fagus.
Laribus

Laribus, papaver, cepe, alliũm.
Lucinæ, dictamnum. *Marti*, fraxinus, laurus.
Minervæ, olea; *Musis*, palma, laurus.
Morpheo, papaver; *Proserpinæ* narciss9
Plutoni, Cypariſſus, ſeu cupreſſus, adianthum.
Rheæ Matri Deorum, quercus.
Sylvano, cupreſſus.
Veneri, Cypriæ, roſa, myrtus.
Junoni, lilia ex lacte eius nata.
Gratijs, horti præſertim Heſperidũ, aureis malis celebres.

Armamentarium Eruditum.

Apollinis, inſigne fuit arcus & cithara.
Bacchi, thyrſus, nebris, id eſt veſtis ex pelle cervina.
Cupidinis, fax, pharetra, ſagittæ auream & plumbeam cuſpidé habentes.
Dianæ, arcus & pharetra.
Herculis, clava trinodis, Nemæi Leonis pellis.

Jani

Jani, claves. *Jovis*, fulmen.
Libitinæ, falx messoria.
Minervæ, hasta cum noctua, galea cum sphinge, ægis, seu clypeus, Medusæ caput præseferens.
Mortis, gladius.
Mercurii, caduceus, petasus, seu alatus galerus, talaria, seu cothurni pennati.
Morphei, porta eburnea & cornea.
Neptuni, tridens fuscina.
Parcarum, colus, forceps.
Quirini, hasta.
Saturni, Falx.
Themidis, Statera.
Veneris, Cestus.

ANATOMIA ERUDITA.

Caput Sacrum Jovi; *Lingva* Mercurio, *Frons*, Genio; *Supercilia*, Junoni; *Oculi*, Minervæ & Cupidini; *Pectus*, Neptuno; *Dextra*, Fidei; *Digiti*, Palladi; *Genua*, Misericordiæ;

Pedes

Pedes, Mercurio; *Dorsum*, Plutoni; *Plantæ* & *Thali*, Thetidi.

CURRUS DEORUM.

Auroræ currum crocei equi trahunt.
Bacchi, tygrides, lynces, Pantheræ.
Cereris, dracones; *Cybeles*, leones.
Dianæ, cervi; *Jovis*, Aquilæ.
Junonis, currum pavones; *Lunæ*, seu Cynthiæ, candidæ iuvencæ; *Mortis*, pallor & impetus; *Oceani*, balenæ; *Neptuni*, hippopotami, & tritones.
Saturni, dracones.
Sileni, aselli; *Thetidis*, delphini & sirenes. *Veneris*, seu Cythereæ, cygni, v columbæ, v passeres.

VIVARIUM ERUDITUM.

Accipiter Appollini sacer est. *Aquila* Jovi.
Anser, Jsidi & Junoni; *Agnus* Junoni.
Cervus, Dianæ, *Canes*, Marti, & *Laribus*.

Cicadæ, Apollini; *Columba*, Veneri. *Cygnus*, Apollini & Musis. *Gallus*, Æsculapio: *Gryphes*, Apollini. *Alcyon*, Thetidi; *Leo*, Herculi; Vulcano, Cybele; *Lupus*, Marti. *Mulus* *Piscis*, Dianæ; *Noctua*, Minervæ; *Pavo*, Junoni; *Picus*, Marti. *Porcus*, Sylvano; *Serpens*, Æsculapio *Smilax* seu *Cochlea*, Baccho; *Sphynx* Minervæ; *Vultur*, Marti.

Eruditi & celebres Pædagogi.

Ausonius, Gratiani Imperatoris.
Arsenius, Arcadii & Honorii Imperatorum.
Aristoteles & Leonides, Alexandri Magni.
Anaxagoras, Periclis; Alcuinus, Caroli Magni.
Chiron, Achillis; Demosthenes, Cyneæ; Seneca, Neronis.
Socrates, Platonis; Plutarchus, Trajani Imperatoris.

Possido-

Possidonius, Ciceronis; Panormitanus, Alphonsi Regis Aragoniæ. Victorinus, Hieronymi. Plato, Aristotelis; Linus, Herculis; Cassiodorus, Theodorici Regis Gothor; Antisthenes, Diogenis; Anatolius, Theodosii Imperat: Aristodemus, filiorũ Pompeij Magni; Parthenius, Virgilii. Orbilius, Horatii; Xenophon, Cyri Regis; Palemon, Persii. Apollodorus Augusti Cæs: Lactantius, Firmianus, Filiorum Constantini; Quintilianus, nepotum Domitiani Imperatoris. Socrates, Alcibiadis; &c.

Bisseni Herculis labores.

1. Angves à Junone immissos, adhuc in cunis elisit.
2. In Lerna palude septicipitem Hydram semper renascentem, igne & ferrô domuit.
3. Aprum in monte Erimantho.
4. Cervam æripidé in Mænalo monte cæ-

te cæpit, toto eam anno insecutus,

5. Leonem in nemæa sylva discerpsit.

6. Harpyias seu Stymphalides, rapaces aves submovit, abegitq;

7. Diomedem crudelem Thraciæ Regem suismet equis antropophagis devorandum obiecit.

8. Montibus duobus disruptis, Oceanum terræ, seu mare mediterraneum immisit; montes illi vocantur Gades, seu Calpe & Abyla seu Herculeæ columnæ, quibus inscripsit Hercules: *Non plus ultra*

9. Pro Atlante cælum baiulavit tantisper, dum ille poma aurea ex Hesperidum horto decerperet.

10. Antæum 64. cubitorum Gigantem à terra, unde vires sumebat elevatum vicit.

11. Cerberum trifaucem ab inferis in lucem protraxit.

12. Ge-

12. Geryonem tricorporem profligavit, eius armenta abegit, & Augiæ caulam immanem purgavit, Busiridemq; ad proprias aras Tyrannum immolavit.

Tituli Sæculorum ex Patre Juglares.

Primum Sæculum à Christi Domini exortu *Prodigiosum* dictum.
2dum. Sæculum *Victoriosum.*
3tium. Sæculum, *Solitarium.*
4tum. Sæculum, *Doctum.*
5tum. Sæculum, *Barbarum.*
6tum Sæculum, *Contradicens.*
7timum. Sæculum, *Ignorans.*
8vum. Sæculum, *Ruinosum.*
9num. Sæculum, *Extravagans.*
10mum. Sæculum, *Politicum.*
11mum. Sæculum, *Invidiosum.*
12mum. Sæculum, *Miserum.*
13tium. Sæculum, *Rixosum.*
14tum. Sæculum, *Crudele.*
15tum. Sæculum, *Schismaticum.*

16*tum.* Sæculum, *Hæreticum.*
17*timum* Sæculum, *Apparentiarum, & pomparum.*

INSIGNIA PROVINCIARUM REGNI POLONIÆ.

POloniæ Insigne, Aquila alba in campo rubeo, cum Corona aurea.
Cracoviensis Palatinatus, in vexillo Aquila candida cum Corona aurea, in campo rubeo.
Cracoviæ, tres Turres cum Porta una, in qua Aquila.
Sendomiriensis Palatinatus Scutum, in quo à medio tres campi rubri, tres albi, in altera parte campus cæruleus, cum tribus stellarum ordinibus.
Sendomiriæ, Rex in Solio, & Aquila.
Lublinensis Palatinatus, Cervus in campo rubro, in collo aurea Corona. *Lublini,* Caper.
Posnaniensis Palatinatus, Aquila candida sinè Corona, in campo rubeo.
Posna-

Posnaniæ, tres Turres, in Porta duæ claves decussatim positæ.

Calissiensis Palatinatus, caput Bisontis, inter cuius cornua aurea Corona per nares circulo transeunte, campus instar alveoli albus & ruber.

Siradiensis Palatinatus, Leo ruber medius, & semi Aquila nigra cum Corona aurea in plano campo.

Siradiæ, tres Turres cum Porta, in medio Turris, Aquila.

Vielunensis territorii, Agnus cum vexillo & calice in campo rubeo.

Lenczycensis Palatinatus, semi Leo ruber in campo albo, semi Aquila alba in campo nigro, cum Corona aurea.

Plocensis Palatinatus, Aquila nigra, in campo rubeo, in pectore litera P.

Dobrzynensis Territorii, Caput humanum canâ barbâ, cornutum, in campo rubeo, desuper & infra habens Coronam auream.

Zatoriensis Districtûs, spectantis ad Palatinatum Gracoviensem, Aquila alba cum litera Z. in pectore, in clypeo cæruleo.
Sandecensis Districtûs, eodem pertinentis, clypeus divisus in duas partes, & sex campi, tres rubri, & tres aurei; in secunda parte in rubro campo novem Stellæ.
Osviecimensis Ducatûs, ad Palatinatum Gracoviensem spectantis, Aquila nigra, cum litera O in pectore.
Kulaviensis & Inovroclaviensis, medietas Aquilæ, & dimidius Leo, aureâ Coronâ insigniti, in campo aureo.
Vladislaviensis, medietas Aquilæ rubræ, & Leonis nigri in campo aureo.
Masoviæ Ducatus, cum tribus suis Terris, Aquila alba expansis alis.
Prussiæ Ducatûs, continentis Palatinatus duos, Culmensem cum Mariæburgensi, Aquila in campo rubro, in

eius collo Corona aurea, ſub dextra ala, manus armata cum ſtricto gladio.

Pomeraniæ Palatinatus, Gryphus niger in campo albo.

Curlandiæ & *Livoniæ* Ducatus, Gryphus coloris albi.

Podlachiæ cum ſuis Diſtrictibus, ab una parte in vexillo Aquila alba, in campo nigro, ab altera parte eques armatus cum evaginato gladio; fuit aliquando ſub Lithvanis.

Ruſſiæ Ducatus, Leo fulvus coronatus in campo cæruleo, continet Palatinatus, Podoliæ, Volyniæ, Kiioviensē, Czernichovienſem, Braſlavienſem; ante fuit Regnum, & Monedulam coronatam nigram in campo albo pro ſtemmate gerebat.

Chelmenſis Terræ, Monedula nigra cum Corona aurea in campo albo.

Præmyſlienſis Terræ, Aquila biceps coronata, in campo cæruleo.

Podoliæ Palatinatus, Sol radiatus in campo albo.

Volhyniæ, in vexillo viridi Crux alba, in campo rubeo.

Kijoviæ Palatinat: ex una parte Urſus in campo albo, ex altera Angelus albus tenens evaginatum gladium.

Braclavienſis, habet Crucem albam in campo rubeo.

Belzenſis, Gryphus albus coronatus in campo rubeo.

Kamenecenſis Urbis, S. Georgius in equo draconem interimens.

INSIGNIA PROVINCIARUM
Magni Ducatûs LITHVANIÆ.

M. D. Lithvaniæ Inſigne eſt Eques Cataphractus, cum Mitra ſupra Scutum, binâ Cruce ſignatum.

Palatinatus Vilnenſis, in vexillo rubro ex una parte Cataphractus Eques, ex altera, Columnæ albæ, antiquæ Gentis *Columnarum* Inſigne.

Vilnæ

Vilnæ, Columnæ cum Porta in medio.
Osmianensis Districtus, Eques in vexillo purpureo.
Lidensis, Eques Cataphractus in vexillo cæruleo. *Wilkomiriensis*, Eques Cataph: in vexillo rubeo ex una parte, ex altera S. Michàël Archangel.
Braclaviensis, Eques Cataphractus in vexillo roseo
Palatinatus Trocensis, in vexil: lasurino Equ: cataph: in căpo rub: *Dist:Grod*: *Distr: Caunens*: & *Distr, Upiens*: eodé Insigni utuntur, quo Palat: Trocens: additis literis G. C. U. in scuto Equitis.
Ducatus Samogitiæ, Ursus niger, cum circulo albo in collo.
Palatinatus Smolenscensis, vexillum rubrum, in quo Scipio.
Smolensci, Eques armatus in vexillo roseo. *Distr: Staroduboviens*: Eques cataphractus in vexillo purpureo
Palatinatus Polocensis, Eques armatus in ve-

in ve-

in vexillo rubro.
Palatinatus Novogrodensis, Angelus niger in campo rubeo, ex altera parte vexilli Eques armatus.
Districtus Slonimensis, Eques cataphractus in vexillo purpureo.
Districtus Wolkoviscensis, Eques armatus in vexillo roseo.
Palatinatus Vitepscensis, & Districtus eius *Orszanensis*, Eques armatus in viridi vexillo.
Palatinatus Brestensis, & Distr: illius *Pinscensis*, Eques armat: in cáp: cærul.
Palatinatus Mscislaviensis, Eques armatus in vexillo croceo.
Palat: Minscensis, & Distr: *Rzeczycensis & Mozirensis*, Eques armatus in campo albo vexilli purpurei.
Palat: Livoniæ, Gryphus albus erectus in pedes, in campo rubro, cum gladio in pede dextro, in pectore autem literæ S. A. coronatæ, scilicet,
Sigis-

Sigismundus Augustus, qui hoc stemma dedit Livoniæ, eam incorporans Lithvaniæ, Anno 1567.

STEMMATA VARIORUM EXTRANEORUM REGNORUM & Provinciarum.

ANdalusiæ in medio campo flavo, pomum puniceum sursum erectum cum ramo, supra campum Corona Regalis absq; cruce.

Angliæ, olim dictæ Britanniæ, tres Leones unus infra alium in campo rubeo, desuper Corona Regalis cum cruce & globo, à parte dextra Leo coronatus, à sinistra Gryphus.

Aragoniæ Regni, in campo flavo circuli oblongi, 5. trabes rubræ, in sinistra parte in campo albo Crux rubra, & in quovis Crucis angulo caput coronatum, teniis de collo pendentibus.

Austriæ, Alaudæ sursum avolantes,

item

item Aquilæ duæ in albo campo.

Balearidum, Insularum in campo flavo 4. trabes, & Crux in transversum, desuper Corona Regalis.

Bavariæ, in campo albo rhombi fenestrales oblongi, qui ex angulis prodeunt, super campum ramus oleæ. *v* Ursus, *v* Scorpio.

Biverriæ, in medio campi albi Crux subrubra, desuper Corona Regalis.

Bohemiæ, Leo albus coronatus, cum duplici cauda.

Bononiæ, in cãpo flavo tria poma punicea, desup: corona Reg: sinè cruce.

Brabantiæ, in campo nigro Leo flavus erectus, desuper corona Ducalis, *v* latrunculi rubri & albi.

Brandeburgici Marchionatûs, in campo albo aquila nigra coronata, desuper duæ albæ in corona Regali, sinè Cruce, vel Draco.

Brunsvicensis Ducatûs, 2. Leones in campo

campo albo ʋ Leo aureus, ʋ vir ferus albus, ſeu Sylvanus.

Bulgariæ, in campo cæruleo luna alba.

Burgundiæ, In campo flavo tres trabes tranſverſæ cæruleæ, deſuper Corona Regalis ſinè cruce.

Calabriæ, In medio campi Crux nigra, deſuper corona Reg: ſiné cruce.

Campaniæ, in campo cærul: trabes 2.

Cameracenſis Archiepiſcopatûs, Aquila biceps in campo flavo.

Caſtiliæ, in campo rubro rhombus, & aliquot trabes rubræ cum crucibus cæruleis. *Croatiæ & Cliviæ*, latrunculi rubri & albi.

Daniæ, in campo cæruleo Coronæ, & Leones flavi tres. Item trabes cæruleæ tres, cum interſtitiis albis.

Hetruriæ Ducum, ſex globi in campo albo, in orbem diſpoſiti.

Flandriæ, in campo flavo Leopardus niger erectus, deſuper corona Regalis ſine cruce. *Floren-*

Florentiæ, Lilia trium foliorum, & duæ Roſæ.

Galatiæ, Monſtrantia cum Venerabili Sacramento in campo cæruleo, & ex utraq; parte in longum 3. Cruces nigræ, deſuper Corona Regalis ſinè cruce, infra campum inſcriptio: *Hoc Myſterium firmiùs confitemur.*

Galliæ, tria Lilia in campo cæruleo, deſuper Corona Regalis cum cruce.

Gottiæ, Currus triumphalis, in quo vexilla ſubtracta prominent, quibus inſiſtit vir galeatus, dextrâ manu protenſa cum gladio, ſiniſtrâ cum clypeo. *Germanici Imperij*, nigra Aquila biceps, cum Corona Cæſarea.

Granatæ, in campo flavo pomum puniceum ſurſum erectum cum ramo.

Hiſpaniæ varia ſunt & multa ſtemmata, ſiquidem ſub ſe regna continet plura, præcipuum tamen ſtemma eſt, turres, coronæ, Leones, Leo ruber erectus.

Holan-

Holandiæ, in campo flavo circuli, Leo ruber erectus, desuper Corona Regalis sinè cruce.

Hungariæ, Leo medius ruber, & medius albus in campo rubro; tres rubræ trabes in campo albo, crux, & super eam Corona Regalis sinè cruce.

Hyberniæ, Cythara in campo cæruleo.

Italiæ, Virgo, armis, hastis, & oleis insistens.

Legionis, in campo albo Leopardus coronatus, sinè cruce Corona.

Lotharingiæ, Falcones tres.

Luceburgi, in campo albo Leo ruber erectus.

Lusaciæ, murus prominentibus arcubus, desuper campus totus ruber.

Lusitaniæ, campus albus, & intra illũ 5. Scuta cærulea, circa campum in superficie rubra, 7. portæ flavæ, desuper Corona Regalis sinè cruce.

Marchiæ, latrunculi cærulei & albi.

Mechli

Mechliniæ, in campo flavo 3. rub: trabes, in medio trabis Aquila biceps.
Mediolanensis statûs, tres Coronæ Regales sinè cruce, & serpens erectus, infantem dentibus tenens.
Moraviæ, in campo cæruleo Aquila rubra, distincta ubiq; flavis alis.
Moschoviæ, Aquila nigra biceps, in cuius pectore Eques, adinstar Sancti Georgii.
Navarræ, in campo rubeo duo Leones, unus infra alium.
Normandiæ, in campo rubro castrum cum tribus turribus.
Norvegiæ, idē stemma, quod Daniæ.
Peloponesi, in campo cæruleo Luna.
Portugalliæ, campq partim ruber, partim flavus, & in medio duo capita humana vittata, & duo coronata.
Rheni Palat: Leones & latrunculi.
Scotiæ, Leopardus ruber in campo flavo, à partibus equi coronas in col-

lis

lis gerentes, desuper Leo erectus coronatus, in dextro pede cum gladio, in sinistro cum sceptro, à partibus vexilla. Vexillum dextrum habet in se crucem transversam, sinistrum habet Leopardum erectum, vel Lilia rubra, sicut & Anglia.

Serviæ, idem stemma, quod *Bulgariæ*.

Silesiæ, in campo pars una alba, altera flava, in alba est Aquila nigra, in flava, trabes.

Thuringiæ, ex Leonibus duobus sine coronis, unus ruber, alter albus.

Sveciæ, in campo cæruleo tres Leones, & tres Coronæ.

Transylvaniæ, in campo flavo Leo erectus, per medium ipsius Luna cærulea crassa cum alba simili. Item tres dentes Elephanti, iuxta alios Lupi, in campo cæruleo, supra Mitra Ducalis.

Trevirensis Archiepiscopatus, à dex-

tra parte in campo albo 4. trabes cæruleæ, per quas Leo extensus, desuper corona Ducalis; à sinistra parte in campo rubro crux alba, desuper Infula cum gladio à dextris, cum scipione Episcopali à sinistris. *Turciæ*, Luna pallida cornibus erectis. *Valachiæ*, in campo cæruleo Luna alba, vel Calvaria, seu caput hominis mortui.
Valentiæ Regni, Templum album murô albo circumdatū in campo rubro.

Hæc Regnorum stemmata, tum notitiæ habendæ gratiâ, tum in certis passibus, opportunitati consulendo hic posui; ut si subinde talem materiam poscat occasio, Orator notitiam eorum domi habeat, unde alia Regna honoris sibi vendicant encomium.

BREVIS DESCRIPTIO

4. Orbis partium, & præcipuorum

AFRICA AUSTRALIS.

Qua parte à Tropico Cancri ad Meridiem protenditur, in interioribus ſuis rariore gaudet habitatore, & deſertis ſquallet (incolæ olim Troglodytæ, Garamantes & Getuli dicebâtur) ſuitq; veteribus ferè incognita, & credita omnino inhabitabilis, ſub Zona torrida & Æquatore. Sed negotiatorũ modernorũ, præſertim Regum Luſitanornm, ſolertia & diligentia ampliſſimas, & valde populoſas in Africa Auſtrali & Orientali, detexit regiones, maximè in partibus Oceano Æthiopico propinquioribus: ut Gualatam, Biafaram, Guineá, Loango, Congo, Angolam, Caffraiam, &c. Omnes earum regionum incolæ nigerrimi corpore & animo.

Uſq; ad Annum Chriſti 1400. terminus navigationis in mari Atlantico

tico fuerant radices montis Atlantis, & famosum promontorium malignátis naturæ vocabulo NON appellatum, eò quòd illuc appulsæ Naves non revertebantur, sed certis naufragiis interibant, ideoq; ad illud accedere, nedum ultra progredi non licebat ob immensas tempestases ventorum, à promontorio illo refractorum. Incidit tandem Anno 1410. Henrico, Principi Lusitaniæ, Filio Joannis I. Lusitaniæ, Regis, heroica cogitatio, ut tentaret navigationem ultra promontorium NON, lustraretq; Australem Africam, ad invehendum illi Evangelium Christi. Imò divinitùs de hoc monitus dicebatur; famamq; credibilé fecit eximia eius pietas, & morum integritas in vita cælibé.

Parata igitur, ac ritè instructa classe, vela dantur ventis, auspice DEO, & Vir-

& Virgine DEIparæ, fuitq; tam felix prima excursio: ut ultra promótoriū *Non*, 60. circiter milliaria sint provecti Argonautæ illi. Sed rursus crescentibus in vicinia alterius promontorii, *Ganariam* vocant, æstibus vadisq; ad reditum compulsi sunt; multum egisse visi, quòd ultra *Non* se fuisse affirmare possent. Non fregit, sed erexit, magnanimo Principi animos periculum illud novum. Alias atq; alias, toto decennio expedivit Naves, quàmvis aliis aliisq; repellerentur obstaculis ulteriore progressu: donec Anno 1420. duo Viri in albo Argonautarū aurô scribendi, Gonzalus Zareo, & Tristanus Vaz, seu Vasæus, decreverunt: non iam, ut hactenus legere littora, tempestatibus infestissima; sed ducere in altum, & immensa Oceani tentare.

Sic animatos, & aliquantū provectos, ultra quàm volebant, abstulit felix tempestas, detulitq; ad Insulam quandam, reficiendis navibus opportunissimam, quam *Portum Sanctum* dixerunt. Inde digressi, cùm nihilominus ad Australia Africæ flecterent clavum, in aliam eamq: longè vastiorem inciderunt Insulam, sed omni habitatore destitutam, & densissimâ sylvâ virentē, quam propterea *Maderam* seu *Materiam* vocârunt. Visum illis est, non modicum fore operæ pretium, (prout arborū densitas, & glebæ bonitas prodebat) si excoleretur ea Insula. Contractis ergo ex Lusitania pluribus operis, ferro & igni eam purgare sunt aggressi. Tenuit integrum septennium constantissimus labor: cui tanta frugum omnis generis, ac potissimùm sacchari respondit ubertas: ut nomen Pa-

radi-

radiſi Luſitani meruerit. Fructus certè Paradiſum ſapere videntur, uvæ ad tres & 4. palmos extenduntur, ſacchari proventus ad octo librarum milliones colligi dicitur.

His fructibus refectæ Optimi Principis Henrici curæ, in novos aſſurrexerunt auſus & conatus. Anno 1446. repertæ ſunt 12. Inſulæ, *Heſperides* & *Gorgades* dictæ, in mari Atlantico, factæq; iuris Luſitanorum. Alia rurſus poſt aliam inſtituta expeditio: donec annorum 50. laborioſo & ſumptuoſo curſu perventũ eſt uſq; ad promontoriũ *Cape verde Caput viride* dictũ, ac demum ad *Montem Leænæ* (27 gradibus diſtantem à freto Herculeo, ſeu Gaditano) ſeu *Sierra Lioa.* Quibus feliciſſimé geſtis, Henricus Princeps Portui Beatæ Æternitatis eſt invectus, Anno 1460.

Conatus Henrici ſtrenuè proſecu-

tus

tus est Alphonsus V. Rex Lusitaniæ ac post illum Joannes II. detectæ sunt in Australi Africæ plaga Regna complura vastissima, & valde populosa, Regnum *Guineæ*, *Congo*, *Banzæ*, *Toræ*, *Cassarie*, &c. cum amplissimis Imperiis *Abassinæ*, & *Monomotapæ*. In omnibus (excepto Imperio Abassinorum) vel colebantur idola, vel regnabant Mahometis errores.

Regnum *Congo* primum Ecclesiæ Christi aggregatū est operâ PP. Ord. Prædic: numeravitq; usq; ad annum 1587. novem Reges Christianos. Regnum *Angolæ* excolendum susceperunt An. 1550. Missionarii Soc: JEsu. Fructuosissimè ibidē, & in adiacentibus regnis laboravit P. Balthasar Barreyra, baptizato cum magna subditorum copia, Rege Banzæ, Rege Toræ, Rege Guineæ, Principibus Benæ, Mocumbæ &c. Placuitq; Divinæ Bonita-

nitati in eodẽ P. Balthaſare renovare prodigioſam Moyſis orantis victoriam. Luſitani enim 150. paucis fidis Æthiopibus ſtipati cum aliquot centenis Angolanorum millibus congreſſi, orante in vicino colle P. Balthaſare elevatis ad DEUM manibus, vincebant, deſiſtente eodem ab oratione, vincebantur: reaſſumptâ igitur, & conſtanter productâ oratione, grandi clade profligati ſunt barbari.

In regno *Biafaræ* inſigni fructu deſudârunt PP. Carmelitæ. Commendant barbaris Mauris Europæos ipſæ ferociſſimæ beſtiæ. Nam in Guinea tigrides, quæ ibi ſæviſſimæ ſunt, in nigros tantùm homines ſæviunt, albis parcunt. Idem faciunt in Provincia *Bamba*. Rex *Berbecinorum* conſultaturus cum Optimatibus ſuis de bello, ſecedit cum ipſis in profundâ ſylvâ, ubi circa foveam paratam conſiſten-

tes in coronam, capite in foveam in-
clinato quisq; sententiam suam dicit.
Consultatione peractâ, impletur fo-
vea ingesta humo, asseverante Rege,
eam nulli proditurá consilia ipsorũ.
Regnum *Monomotapæ* amplissimũ est
auro, quod rutilat in fluviis, dives:
Imperator Dnũ se vocat, seu *Regem*
auri, sed mancipium est impurissim
Mahometis. Ad Christum conversu
cum matre sua, & 300. Procer: à P
Gonsalvo Silveria S. J. an: 1561. paul
post instigantibus Mahometanis Sa
crificuli, eundem strangulari curavi
sacrilegus Apostata. *Abassynorum Æ*
thiopum Imperium in tota Africa ma
ximum est, cuius Imperatorẽ *Prote*
Iannem dicunt, Christianos se iactant
sed schismatici sunt, erroribus Dio
scori ac Eutichetis infecti. In reducẽ
dis iis ad Ecclesiam, multum labora
runt Operarii Soc: J. sed illi indurati
tor-

tormenta & cædes rependerunt.

Africa Septemtrionalis, famosa monstrorum mater, de qua vetus dictum: *Africa semper aliquid novi parit.* Tulit illa olim tum varia naturæ *portenta*, *tum etiam illustria ingeniorum prodigia: Tertullianos*, *Cyprianos*, *Augustinos*, *Fulgentios*, *Arnobios*, & nunc ea parte, quæ mari Mediterraneo alluitur, & primis Christi sæculis tam literis, quàm pietate cultissima fuit; in tantá abiit sylvam, ut totus ille tractus à freto *Gaditano* ad Regnum *Tunetanū*, *Barbaria* appelletur, & sit. Complectitur hæc Barbaria Regna, *Fessæ*, *Maroci*, *Tuneti*, & *Tripolitanam*, ac *Barchanam*, cui adiacet Ægyptus. Ad septemtrionalem Africam pertinent, *Numidia*, *Nubia*, *Lybia*, & alia multa Regna horribili barbarie inculta. Ipsa Ægyptus Africæ pars nobilissima, quæ priscorum PP. Eremi Cultorū,

virtute & multitudine in paradisum quendam transierat; iam nihil nisi Mahometismi lolia parit, & porcina monstra. Nihilominus & hos barbaros *Africæ*, nè videatur DEUS O.M. necessario ad Fidem destitui se; auxilio *Algerianis*, *Tripolitanis*, aliisq, earum gentium pyratis, non raram è Christianis prædam permittit, à quibus & eorum redemptionem procurantibus Religiosis innotescit ipsis Christus. Hispanis insuper bene munita quædam, in ora Africæ maritima, tradidit & conservat loca, ut *Septam*, seu *Ceutam*, *Lavecham*, seu *Mazaquibli*: *Oramum*, *Melilam*, frustrà frementibus barbaris.

America Australis, aliàs *India Occidentalis*, *& novus orbis* dicta â Civitate Mexicani Regni *Carthago*, porrigitur usq; ad fretum Magellanicum, & vastissimas complectitur Regiones,

Perva-

Peruvanam, Chilensem, Magellanicam, Terram Firmam, Paraquariã, & Brasiliam, quæ omnes Regibus Hispaniæ subiectæ sunt, excepta Brasilia, quæ Lusitanorum iuris est: *Peru*, seu *Peruvia* cæteris omnibus in universa America antecellit divitiis, ob ditissimas argenti & auri fodinas; nec in montium tantumodò visceribus scrutari oportet hos thesauros, ipsa terra alicubi arenas & lapillos purissimi auri egerit, & quidem in spatio multorũ milliarium, unde in Palatiis antiquorum Regum, & templis Deorum parietes & tabulata, solidis auri laminis tegebantur, vasorumq; aureorum, etiam apud non opulentos usus frequens erat. Nunio Valboæ Hispanorum Præfecto, Princeps quidam Peruvanus tantam copiam aureorum & argenteorum vasorum obtulit dono, ut eã 60. viri asportare vix potuerint.

Anno 1595. argenti puriſſimi 85. milliones in Hiſpaniam devecti traduntur, ſolet autem Regibus Hiſpaniæ tantùm quinta pars proventuum annuorum ex illis Regionibus transmitti. Rex Pervanus Agatualpa à Franciſco Pizarro prælio victus, in lytrum pro libertate ſua obtulit tantùm auri puriſſimi, quantùm caperet conclave, in quo detinebatur. Habebat autem hoc in longitudine pedes 22. latitudine 136. altitudinem tantã, ut maximus virorum extenſô gladiô tabulatum eius ægrè attingeret: argenti verò obtulit duplo tantùm. Lapidum quoq; pretioſorum, & in mari margaritarum, præcipuè *Smaragdorum* incredibilis eſt ibi copia. Idé Pizarrus initio expeditionis ſuæ in Peruviam, tantam vim *Smaragdorum* aliarumq; gemmarum collegerat, ut 20. millia *Almagro* amico ſuo miſerit,

Magnetem quoq; optimum, & multos medicos lapides ibidem terra parit. In vallis cuiusdam Petaguele dictæ piscina, inveniuntur lapilli elegantes, quorum singuli perfecta Cruce magnitudine unius pollicis insigniti sunt, qui si concutiantur, in singulis etiam exiguis partibus similiter Crux reperitur: Unde Christiani ex his lapillis Rosaria sibi conficere solent. In quibusdam locis, ut etiam in prædio Collegii Soc: J. propè Cuzcum Urbem, piscinæ à die Cinerum usq; ad Sabbatum sanctum omnis generis piscibus abundant, etiamsi nullus sit immissus; cùm alio tempore nec minimus deprehendatur pisciculus. Frugum tam fertilis est terra, ut passim in vallibus 100. alibi etiam 300. fructum ferat. In valle *Truxili* flos regnat, qui in uno stipite exhibet 20. aut 30. varii coloris & speciei flores

speciosissimos. In Provincia de las Charcas arbor est admodùm procera, cujus fructus latent in foliis per modum libri compositis; in singulis autem foliis deprehenditur figura cordis humani, in corde autem signum Crucis expressum. In terra, quæ *Mala* nominatur, Ficûs rami Austrum versùs, fructus ferunt valde salubres, qui verò Septemtrionem respiciunt, mortiferos. Peruanum hoc Regnum tanquam naturæ gazophilacium opulentissimum, ut Regibus suis & Christianæ Fidei subiicerent, conspirârunt, tres Hispani negotiatores Civitatis *Panamæ*, anno 1525. *Franc: Pizarrus, Didacus de Almagro, Ferdinandus de Luque*, ea conditione: ut *Almagrus*, tanquam opulentior, naves militesq; compararet, *Pizarrus* expeditionem in interiora *Peruviæ* susciperet, *Luque* utriusq; negotia interim *Panamæ*
pro-

procuraret. Offendit ferè ineluctabiles difficultates, & per aliquot annos sustinuit *Pizarrus*, donec unum prælium non minùs fortiter, quàm feliciter gestum, *Carolo V. Imperatori* asseruit *Americam Australem ipsi Pisarro Vices Regis* ibidem. Sed domitis Barbaris, ipsos *Hispanos* inter se internecino bello commisit invidia & ambitio; gestumq; est aliquot annis à *Didaco de Almagro* contra *Pizarrum* nuper amicorum intimum, ferè ad excidium omnium Hispanorum, & necem duorum circiter millionum ex *Indis*, quos in suas quisq; partes traxerat: donec & ipsi æmuli occumberent cruenti, partasq; terras ac opes aliis relinquerent. *Peruani* deferebant *Soli* Divinos honores, cuius sumptuosissimum Templū totum aureis laminis solidis & crassis vestitum videbatur. *Cuzci Lima* nunc eius Re-

gni Metropolis eſt, & ſedes Archiepiſcopi atq; Proregis, Patria S. Roſæ Virginis. Nec aurum ſolùm cum gemmis commendat *Peruviam*, ſed etiam ſtramen. Tradit *Ioſephus à Coſta*. l. 6. c. 4. ſupra vaſtum flumen pontem eſſe ex meris ſtraminis, & iunci faſciculis dexterrimè colligatis, pedum Geometricorum 300. non hominum tantùm, ſed etiam iumentorum onuſtorum onus patienté. Incolæ artifices ſunt valde induſtrii, & corpore non nigri. *Chilenſis* Regni longitudo eſt 415. latitudo 120. milliarium. Ferax eſt etiam auri, vini, mellis, ſtruthionum, & ligni Braſili, quàmvis certis temporibus rigeat frigoribus acerrimis. Metropolis eius eſt Civitas S. Jacobi. *Paraquaria*, Regio ampliſſima & fæcundiſſima, quam ingens fluvius *Argenteus* dictus dividit. Partem illius occupàrunt *Hiſpani*,

alia

alia ſui iuris eſt; in qua Miſſionarii Soc: J. ex ſpeluncis & ſylvis eductos homines, ad politicam Societatem inſtituerunt; pagos, quos reductiones vocant, condiderunt, in quorum ſingulis 8. vel 10. millia incolarum; eoſq; non ſolùm in Chriſtianæ Religionis officiis, ſed etiam variis artificiis & agricultura exercent. Indolis ſunt manſvetioris, ingenii autem ſingularis. Nam invenire ipſi nihil poſſunt, imitantur autem dexterrimè, quidquid vident, ventris ingluvie maxima laborant, vorantq; carnes crudas, fumô tantùm nonnihil perſtrictas: cæterùm ad pietatem valde ſunt proni & dociles.

Braſiliam magna parte cicurârunt Luſitani, Fideiq; lumine illuminârunt, vel maximè Vir ille Apoſtolicus & thaumaturgus, P. Joſephus Anchieta Soc: J. Operarius. Vaſtas

in ea

in ea possident Provincias, & populosas Civitates, quarum aliquas cùm Lusitania esset sub Hispano Rege, occupaverunt Hollandi, sed inde paulò post pulsi. Anno 1500. primùm Brasiliam adierunt Lusitani, sed â barbaris plerìq; devorati. Altera expeditio anno 1549. felicior fuit; & iam non minùs fidelium animarũ, quàm cannarum sacchari ferax est hæc Patria.

America Septemtrionalis, quam primus detexit *Christoph: Columbus* Genuensis, acceptis à *Ferdinando* Rege *Castellæ*, in illam expeditionem tribus navigiis, virisq; 120. anno 1462. prima se ei obtulit *Hispaniola* Insula, ac inde alia post aliam. Edocturus igitur Regem de felici navigatione, & novas copias impetraturus rediit in Hispaniam, ductis secum 10. captivis Americanis, & magna vi auri. Re-
crea-

creatus hoc nuncio Ferdinandus, iterum anno 1493. Columbum expedivit cum admirabili titulo & potestate, additis tribus navibus maximis, minor: 14. & viris 1500. Progressus hic (post acrem pugnam navalem cum classe, quam mulier quædam barbara ducebat) ultra *Hispaniolam*, detexit *Cubam & Jamaicam*, Insulas maiores, præter 46. minores, & plures alias, iterum iterumq; repetita navigatione ipsam vastissimam *Indiæ Occidentalis* continentem, adiit tandem anno 1497. *Americus Vesputius* Florentinus, auspiciis sumptuq; Regis Hispaniæ, à quo deinceps est dicta *America*. Magis Australes eius partes, & celebre fretum detexit *Ferdinandus Magellanes*, anno 1519. Regiones complures cum Regno *Mexicano*, populis, auro, gemmisq; refertissimas insigni fortitudine, & rara feli-

citate

citate subegit *Ferdinandus Cortesius*, sub idem tempus. Advertit Ricciolus in Geograph: l. 3. c. 22. Domin: DEum opulentissimas has terras consignâsse in manus Regum *Hispaniæ*, ob eiectos totâ Hispaniâ *Mauros*, ac postea *Judæos*, nulla habita ratione temporalis emolumenti, *Regnum Mexicanum*. à vastissima sua Metropoli ita dictum, primarium est in America Septemtrionali; cuius Regi subiecti erant 30. alii Reges, quorum quivis minimùm 100. millia armatorum educere poterat in aciem. In ipsa Urbe 60. millia domorum numerabantur: & tamen 500. Hispani, Duce Ferdinando Cortesio, ausi sunt non solùm cogitare de occupando tanto Regno, sed in ipsam Metropolim fortiter penetrârunt, Regem duxerunt captivum, & paucis stipati Indis, contra 150. millia hostium ingenti præ-

prælio Victores de Regno Mexicano; totaq; America Septemtrionali, triumphare fecerunt Carolum 5tum. Imperat: 1521. *Longitudini Mexicani* Regni, assignat *Joseph: à Costa*, 800. latitudini minimæ 180. milliaria Hispanica. Pecorum ibi tanta copia, ut inter opulentos Hispanos non censeatur, qui in bonis suis, 40. & ampliùs millia boum non numerat. *Archiepiscopus Mexicanus* præest decem Suffraganeis Episcopis, amplissimis proventibus donatis. Religiosorum non minor ibi est copia, quàm in aliqua *Europæ* Provincia: ut iam in Mexico non minùs floreat Religio Christiana, ac olim cultus idolorum, quibus in singulos annos, 20. millia hominū, præsertim infantium cædebantur in victimam. Advertit Florimundus Remundus lib. 1. c. 4. eodem tempore, quo Religiosus Apostata Martin: Lu-

therus,

therus, grande damnum inferre cæpit Ecclesiæ Christi in Europa; alium Martinum de Valencia dictum, Ordin: S. Francisci cum undecim sociis, largè iacturam illam compensâsse, in *Mexico*, & vicinis Provinciis; ubi intra paucos annos supra 20. milliones ab ipsis baptizati traduntur. Quid si addantur conversi ab aliis Religiosis S. Dominici, Soc: JEsu &c.

Præter Regnum *Mexicanum*, quod etiam *Nova Hispania* dicitur, complectitur America Septemtrionalis, amplissimas alias Regiones: *Floridam*, *Novam Granatam*, *Californiam*, *Canadam*, *Terram Labradonis*, & plures alias, versûs Polum Arcticum, nondum satis cognitas, vastas quoq; Insulas: *Hispaniolam*, *Cubam*, *Jamaicam*, *Terram novam*, præter innumeras alias minores.

Florida, incolas habet valde feros,

cum quibus Hispani & Galli diu luctati sunt, sed exiguo fructu. Nec feliciores fuerunt Operarii Evangelici, nisi quòd sibi Martyrum palmas & laureolas messuerunt, 8. è Societate JESU.

Canada longè amplior, & culturæ patientior est Regio. Continet *Novam Franciam*, Galliæ Regibus subiectam; *Novam Angliam*, & *Virginiã*, subditam Anglis. Habent in ea partes etiam Hollandi & Sveci; nec frugibus, nec metallis æquat *Canado*, alias Americæ terras. *Hurones* & *Algonquini* parent *Gallis*, & Christianis accesserunt; sed implacabiles patiuntur hostes *Iroquæos* indomitos barbaros, cum quibus negotiantur *Hollandi*. Inter complures è Soc: JESU, ab *Iroquæis* immanibus tormentis interfectos, sunt insigniores: P. *Isaacus Iogues*. P. *Gabriel Lallemant*, & P. *Joannes Brebeuf*.

Asia, inter alias Orbis partes famosissima, in cujus sinu, & ex ipsius terra condidit D. DEUS Primos Homines, plantavit Hortum voluptatis, operatus est, & consummavit grande opus Redemptionis nostræ. Ibi Palæstina, & in ea Hierusalem, Divinô Sangvine tincta, ac Dominico Sepulchro gloriosa, maximorumq; Mysteriorum conscia. Ibi *Assyria*, primô Orbis Imperiô inclyta, *Armenia*, triumphantis Arcæ Nóé baiula; ibi *Arabia*, magìs pietate SS. 3. Reg: quàm thure suo fragrans; ibi *Chaldæa* turri Babel, & lingvarum confusione famosa, ibi *Persia* Sophorum Regnũ; ibi vastum Magni *Mogolis* seu *Mogoris* Imperium; ibi *Decan* Regnum, urbe *Goâ*, & *Xaveriano* sepulchro eximium. Regna *Bisnagar* & *Malabar*, Elephantum patriæ. Pulcherrimum Regnum *Zeilanum*, Paradisus alter.

Nato-

Natolia ſeu *Aſia* minor, in qua *Chalcedon, Epheſus, Smyrna, & olim Troia,* &c. quæ omnia, ac inſuper *Tartariæ* magnæ partem, cum parte *Tartariæ* minoris, quæ eſt intra *Tandem* fluvium, *Pontum Euxinum,* & *Mare Caſpium,* (alia Tartariæ minoris pars cum Taurica Cherſoneſo pertinet ad Europâ) complectitur Aſia cis Gangem, & fluvium Tartariæ magnæ Ochandum. Ultra Gangem & Ochandum, eſt Tartariæ magnæ pars, in qua Regnum Cathayæ (cuius magnus Cham etiam Imperio Chinenſi iam dominatur) inſuper ampliſſima, populoſiſſima, ordinatiſſima, & jam magna ex parte Chriſtiana *China,* aliaq; vaſta Regna, *Tunquin, Cochincina, Pogu, Siam, Cambodiæ* &c. Inſulæ quoq; vaſtæ & florentiſſimæ: *Japon, Philippinæ, Celebet, Molucenſes, Borneo, Jaua, Summana,* & peninſula

Mala-

Malaca, quæ Cherſoneſus aurea dicitur.

Tot tantaſq; terras poſt diluvium, in prima Orbis diviſione obtinuit *Sem* filius *Nöe* natu maior, occupante Africam *Chamo*, Europam *Japheto*. In Americam, an ex Aſia, Africa, vel Europa pervenerint homines, non conſtat. Multiplicati ſunt autem in Aſia tam copiosè, ut *Ricciolus* lib. 12. Geograph: ſatis probabiliter toti Aſiæ tribuat quingentos circiter hominum milliones; Americæ ducentos, Africæ centum, totidemq; Europæ. Utinam autem multiplicatis ſic hominibus, magnificata eſſet DEO lætitia; & non potiùs ob effrenem plerorumq; licentiam tangeretur dolore cordis intrinſecùs! Hara enim ibi fætet impuriſſimi *Mahometis*, & in *Terra Sancta* heu! quanta abominatio deſolationis. Religioni Chriſtianæ in

næ in Regno magni *Mogoris*, egregiè servivit simius, bestia ob admirandá sagacitatem ibi famosissima. Selymus Rex jusserat Brachmanes suos, nomina præcipuorum 12. Legislatorũ, inter quos Moyses, Mahomet, & *Christus*, in schedis distinctis conscribi; conscripta misit coram Proceribus suis in urnam, innuens simio, ut eius nomen eximeret, cuius Religio esset verior & melior; hic sinè mora exemit Nomen *Christi*, & omnibus spectandum exhibuit. Jussit iterum Rex, secretis, & soli aulæ notis characteribus eadem nomina conscribi, diligenter permixta immitti urnæ; sed simius iterum idem *Salvatoris* nostri eduxit Nomen. Procerum quidam, cùm tertiò esset idem periculũ faciendum, cæterorum nomina immisit urnæ, *Christi* abscondit. Simius jussus repetere delectum, diu versa-

tis

tis schedis, nullam educere volui
ad acriorem Regis comminationem in
fremuit, arreptasq; schedas omnes d
laceravit: apprehensa Magnatis illiu
manu, Christi Nomen eduxit, exhi
buitq;. Stupuit Rex cum tota præ
sentium (ultra tria millia aderant
corona, multumq; accessit æstimatio
ni Nominis Christiani ex hoc, non
tam simij, quàm Summi Numinis suf
fragio. Refert hoc *Thom: Rée An
glus*, in descriptione legationis suæ ad
Regem Mogor. Meritò hic Rex seu
Imperator dicitur *Magnus Mogor*
tum ob amplitudinem Imperii sui, e
tiam Chinensi vastioris; tum ob po
tentiam & opulentiam, quæ ad mille
quingentos milliones ascendit. Ex
sola Metropoli *Agra*, educere potest
200. millia armatorum. Refert ge
nus suum ad magnum *Tamerlanem*.
Ditio ipsius à *Persia* ultra *Indum* &
Gangem

Gangem extenditur.

Persia, olim ab Hellesponto, usq; ultra Indum porrecta, nunc longè angustioribus clauditur terminis, à Turcis circumcisa, cum quibus de Babylone frequens concertatio; patitur tamen non paucos Missionarios Catholicos. Paret Persis etiam Regnũ *Ormusii*, cuius Metropolis *Ormusium*, sita in Persici sinûs Insula; licèt ita sit sterilis, ut nec urticam ferat, opulentissimum tamen Emporium est. Æstu sulphureo ita torretur, ut homines noctu sub dio somnum capere cogantur, locò lectorum in lintribus extensi, & capite tenùs aquæ immersi. Illud singulare, quòd quò major est Solis ardor, eò pluribus se operiant vestibus, & iucundiûs refrigerentur. *Bartoli lib: 5. hist: Asiaticæ.* Expugnavit hanc Urbem, atq; Regi Lusitano subiecit Magnus Albuquer-

cius, præter Goam, Malacam, &c.
India, quæ eſt cis Gangem, multis ſæ
culis Europæ ferè ignota, à Luſit
nis detecta eſt hiſce ſæculis; diſcr
minat eam Ganges, fluminum Aſiat
corum maximus, & opulentiſſimu
utpotè aurifer. Minima eius latitud
eſt duorum, maxima quinq; milli
rium Germanicorum. Oritur è mo
tibus Tartariæ magnæ, & per Imp
rium Magni Mogoris, quod Ind
ſtan dicitur, illabitur in vaſtum Oce
ni Orientalis ſinum, qui ab eo Ga
geticus dicitur. Celebriora ult
Gangem Regna ſunt; *Bengala*, hæ
paret nunc Magno Mogori: incol
habet ſcatentes omnibus vitiis, ſ
quæ putant omnia aboleri, ſi in fl
mine Gange, cuius originem è Par
diſo dicunt, ſe lavent. Non admi
tuntur autem ad hoc lavacrum, ni
priùs certo pretio Regi ſoluto.

Regnum

Regnum *Pegu*, vaſtum eſt, & opulentum; ingens ibi Elephantum copia, qui fame cicurantur. Incolæ colunt duos Deos, bonum & malum. Chriſtiani quoq; nonnulli reperiuntur. *Siam* Regnum ad 300. milliaria extenditur in longum, ad 106. in latum; negotiatione cum Chinenſibus, & aliis populis dives. Ante paucos annos operâ Miſſionariorum è Societate JESU tam feliciter res Chriſtiana ibidem proceſſerat, ut non ſolùm Rex ſuſceperit Baptiſmum, ſed etiam per Legatos ſuos, Pontifici Maximo Alexandro VIII. obedientiam filialem detulerit. Elephantes bis mille alere dicitur, ad prælia doctos.

Malacenſis Cherſoneſus, *Aurea* dicta, finitima eſt Siamenſibus; Metropolis eius *Malaca*, à Luſitanis expugnata, Anno 1511. ſed his adempta ab Hollandis, Anno 1641. multa magnaq;

miracula ibi operatus eſt S. Franciſcus Xaverius Indiarum Apoſtolus; ſexcenta intra paucos menſes numeravit Epiſcopi Vicarius. Defunctus etiam non deſiit eſſe beneficus; nam corpus ejus *Malacam* delatum à Sanciano Inſula, ſæviſſimam peſtem illicò extinxit, ac veluti tot mortuos ſuſcitavit, quot vivos ſervavit. Nomen *Aurea* obtinuit ea Peninſula, tum ab auri fodinis, quibus abundat, tum à perpetuo vere, & negotiatorum ex tota Aſia concurſu.

Camboiæ Regnum, Siamenſi conterminum, incolas habet bene moratos, ſed Mahometi impio devotos. Homicidia, furta, adulteria ibi nulla; plebeij unâ contenti ſunt uxore.

Tunquinum, & *Cocincina* Provinciæ, fuerunt Imperii Chinenſis, ſed iam (excuſſo jugo) Regna ſunt; cum ea tamen conditione, ut quovis trienio

nio

nio congruis muneribus Imperatorē colant Sinensem. In *Cocincinam* illatum semen Evangelii Anno 1614. insignes fructus tulit; quos etiam persecutionis bruma non decoxit. Anno 1663. & sequenti, non pauci sangvine propriô purpurati, Cælum sunt ingressi.

In Regno *Tunquin* insonuit Tuba Evangelii primùm Anno 1626. tantumq; valuit in animis indigenarum: ut ad annum 1639. ferè 100. millia ad Christum transierint, eiq; mirâ constantiâ adhæserint, sæpiùs proscriptis Evangelii Prædicatoribus. Singularis est in hac gente propensio ad pietatem, & alias virtutes, præsertim Castimoniæ studium.

China, seu *Imperium Sinense*, grande quoddam est compendium totius Asiæ, & ferè Orbis terrarum, præsertim hâc ætate, quâ Tartariâ quoq;

 com-

complectitur, & iam magna ex parte Christianũ est. *China* ipsa ultrá 600. milliaria Germanica à Regno *Siam* & *Tunquin* protenditur usq; ad Oceanum, latitudine ferè pari, separat illam à Tartaria portentosus murus totidem milliarium, 60. pedes altus, 15. latus; qui per montes, valles, prærupta, & vasta flumina ab Oriente in Occidentem æquabili tractu excurrit. Centena millia præsidiariorum assistebant perpetuò eidem muro, ad arcendos Tartaros: nihilominus hi non violentá invasione, sed ultroneá invitatione ad compescendos Sinarũ Imperatori rebelles quosdam, occupârunt Imperium Sinense circiter annum 1640. Domitis enim rebellibus, laboris sui non aliud admiserunt præmium, quàm ipsum Imperium, quod etiamnum possident. Unde potentissimus in Orbe Terra-

rum nunc eſt Imperator Sinenſis; cùm etiam Tartariæ magnæ, in qua inter alia, Catayæ Regnum ampliſſimum, dominetur. Rei Chriſtianæ commodior eſt Tartarorum gubernatio; & iam modernus Imperator edicto publico, quod per annos 100. impetrari non poterat, copiam fecit prædicandi & ſuſcipiendi Evangeliũ admiſſis etiam Epiſcopis duobus, quorum unus in Regia Pekinenſi, alter in Nanchinenſi reſidet. Fideliũ centena millia numerantur; populi autem in Sinis tanta eſt frequentia, ut perpetuæ nundinæ videantur; tanta Urbium, Civitatum, Caſtellorũ, &c. copia, ut totum Regnum Urbis unius frequentiſſimæ, pulcherrimæ, ordinatiſſimæ, & cultiſſimæ ſpeciem præferat, & jure ipſi applicetur, quod de Roma olim cecinit Propertius:

Omnia Sinensi cedant miracula terræ:
Natura hic posuit, quidquid in orbe fuit.

Asiam deniq; commendant plurimæ amplissimæ & feracissimæ auri & argenti, gemmarum, aromatum, &c. Insulæ. Præcipuæ sunt: *Ceyla*, deliciæ Orientis, ubi perpetuò florent, simulq; fructus maturos gestant arbores. *Summatra*, in qua Elephantes procerissimi. *Borneo*, vastissima, abundans thure, mastiche, camphora, adamantum & auri fodinis. *Java* major & minor cum Insulis Molucensibus, aromatum, præsertim piperis, & caryophilorum feracissimis. *Celebes*, *Macassar*, *Manara*, margaritarũ piscatu celebris; Amboinum, Banda, Maldivæ & Philippinæ Insulæ: quarum postremas occupârunt Hispani, Anno 1546. & à Philippo II. Rege Hispaniæ denominârunt, Sedes Proregis est *Manila* Urbs. Sinis vicinæ, & sub-

& ſubjectæ ſunt Inſulæ majores: *Haynan* & *Formoſa*; minores, *Sancianum*, morte & ſepulchrò Sancti Franciſci Xaverii Indiarum Apoſtoli celebrata, & *Macaum* inſigni Luſitanorum emporio, è quo velut arce, prodeunt in Sinas Operarii Evangelici, famoſiſſimum. Auſtrum verſùs jacet *Nova Gvinea*, & *nova Hollandia*.

Japonia, omnium Inſularũ in tractu Oceani Chinenſis nobiliſſima eſt, Italiam aliquantò amplitudine excedit, à Luſitanis circa Annum 1542. detecta, dividitur in Provincias 98. quarum Domini, Principes & Reges, unum venerantur Imperatorem, cujus Sedes Urbs *Meacum* eſt. Ingeniô vivaci & acutô ſunt Japones, moribus culti, & armorum ſtudioſiſſimi. *Xacam* & *Amidam* venerantur Deos, quorum miniſtri Bonzii dicuntur, eorumq; potiſſima prædicatio in fanis

& ſcholis eſt: *Omnia ſub Cælo eſſe nihil*

Primus Evangelii Chriſti Præc in Japonia inſonuit S. Franciſcus Xa verius Anno 1549. inſtituitq; Eccleſi am zeloſiſſimis Confeſſoribus, & for tiſſimis Martyribus inclytam. Non eſt alia Regio in toto Oriente & Oc cidente novi Orbis, in qua Chriſti Fi deles, tam graves diuturnaſq; perſe cutiones pari fortitudine & conſtan tiâ tolerârint; tolerentq; in hanc uſq, diem ab anno 1587. inauditorum præteritis ſæculis tormentorum Vi ctores. Ultra Japoniá, Septemtrio nem verſùs, jacet Regnum *Jendo*, ferociſſimis populis habitatum.

Europa, tertia aliàs pars Orbis ter ræ, ab *Europa* Filia *Agenoris* Regis *Phœnicum* ſic dicta, cultiſſima, & to ta ferè Chriſtiana; incipit à Tanai, vel Helleſponto, & deſinit in Atlan ticum fretum. Regna eius, & præ

cipuas

cipuas Provincias, per alphabetum breviter attingo.

Anglia, ſeu *Britannia maior*, Regnũ eſt mari undiq; cinctum, fertilitate ſoli commendatiſſimum. Vellus habet aureum, ex lana ſiquidem quotannis ſeſqui millionem colligit; ex commerciis autem ante motus Batavicos, 12. milliones annis ſingulis reportabat. Civitates in ea ſunt 323. quarum Metropolis *Londinum*. Provinciæ in illa celebriores: *Vallia, Dehembartia, Poviſia, Venedotia, Nortumbria, Eaſtanglia, Veſtſexia, Cornuvalia, Eaſtſexia.* Toti Angliæ tribuit *Boterus* hominũ milliones tres *Bangoræ* olim Cænobium, Monachos 1200. alebat. In variis Emporiis naves 10.0. commercii cauſa verſantur; laudatiſſimum eſt *Cornuvalliæ* ſtannum; aſini non ſunt in tota Anglia, nec lupi, præter eos, qui in Catholicos ſæviunt. Londini

suprà *Tamesim* vastum fluvium (qui immotus stetit, dum odiô Fidei Catholicæ suspenderetur Edmundus Campianus è Societate JESU) Pons est totius Europæ præstantissimus, longus 330. passus, & utrinq; magnificis ædibus adeò exornatus, ut vicus potiùs, quàm pons videatur. Vinum non habet, rebus cæteris abundans; àére minùs salubri adeò infestatur, ut singulis ferè quadrienniis pestilentiâ laboret. Fidem florentem in hoc Regno succidit, ac penè extirpavit Henricus VIII. ex defensore factus eversor Fidei; inde crudeli lanienâ sævitum in Orthodoxos, nec parsum summis Viris, Joanni Fischero, & aliis Episcopis, Thomæ Moro, Cancellario Regni, & innumeris Religiosis. Horum cùm sangvinem gustâsset, etiam Regium sitiit in Jacobo, & Maria Stuarta, bibitq; Anglia.

Arago-

Aragonia, vide titul: Hispania.

Austria dividitur in Superiorem ac Inferiorem, frumenti & vini copiâ fertilissimum agrum habet, non minùs aliis vitæ necessariis instructa.

Inferioris, Metropolis *Vienna* est, Romanorum Cæsarum Sedes, & adversùm Fidei Christianæ hostes munitissimum Propugnaculum. *Superioris Austriæ* Metropolis est *Linzium*, quò & Cæsar subindè commigrare solet. Plura Oppida habet utraq; & insignes Arces, atq; Dynastias, quibꝰ magna Procerum multitudo dominatur. Danubius tam Superiorē, quàm Inferiorem medius intersecat; iam autem alteram ab altera Anassus dividit. Ex eius antiquis Marchionibus Sanctus Leopoldus Divorum honore celebratur.

Bavaria, olim multò amplior, atq; magnis Regnis par, cujus quippè parti-

particulæ, ampliſſimæ Provinciæ e rant: *Auſtria, Styria, Carinthia,* &c cùm *Agilolfingi, Gvelphiq;* Principe dominarentur; ſed ſenſim aliæ ac a liæ ſub diverſis Principibus diſſocia tæ ſunt, & ſub Henrico Leone etian Auſtria libera facta eſt. *Belgium*, ſe *Inferior Germania, & Gallia Belgica* frequentiſſima commerciis Provincia intra ſpatium milliarium Germanico rum ducentorum quinquaginta, nu merat Urbes 208. Oppida 150. pago circiter ſexaginta & tria millia; totaq Flandria videtur una Urbs continua cùm tamen habeat Urbes 58. pago 1154. Ex 17. *Belgij* Provinciis, ſept le in libertatem aſſerverunt: *Hollan dia, Zelandia, Zutphania, Friſia, Ul traiectum, Tranſitalata, & Groninga* (quæ dicuntur *Belgium Fœderatum*) & pars *Geldriæ*. Hiſpanis manſerunt *Brabancia, Flandria, Ducatus Limbur genſis,*

genſis, & *Lucenburgenſis*, *Comitatus Namurci, Hannoniæ, Arteſiæ*, & pars *Geldriæ*. Sciſſionem hanc fecit, non tam crudelitas, (ut ajunt) Ducis Albani, quàm inſolentia Evangelii Lutherani & Calviniani. Olim in Belgio nullus mendicus, nullum vinum. *Bucellinus in nucleo Hiſtor.*

Bohemiæ Regnum nunc eſt ſub Cæſare Romano Germanico; fertiliſſimũ omnino, cui nec aurum, nec argentum, ſed nec omnis generis gemmas Conditor naturæ DEUS deeſſe voluit. Converſa primùm ad Chriſti Fidem eſt Bohemia per Sanctos Cyrillum & Methodium, & poſtea per S. Adalbertum Pragenſem Archiepiſc: ita reformata, ut Apoſtolum eundem & Principem Tutelarem meritò veneretur Regni Metropolis *Praga*, opportuniſſimo loco ſita, verè *Civitas Regia*, inter præcipuas totius

Germa-

Germaniæ ſpectanda.
Calabria, Campania, titul: Italiæ.
Daniæ Regnum, ad quod per fretum *Sundt* in mare Balthicum, & Provincias *Daniæ*, Jutiam, Zelandiam, Fioniam & Scaniam, &c. fit ingreſſus, (non ſinè vectigali ab omnibus onerariis) Pulcherrima in hoc Regno Inſularū eſt *Zelandia*, 13. hodie monſtrat Urbes amplitudine ſpectandas, elegantià decoras, & munitione robuſtas, atq; inter has Haffniam Metropolim æque elegantem, munitam, & opulentam. *Jutia* (aliâs *Norvegia*, & Cimbrica Cherſoneſus) veterum *Cimbrorum* Patria eſt; qui maris exundatione pulſi ſedibus, Italiam inundârunt, eamq; primùm *Romano* ſangvine largè tinxerunt, mox ſuo. Ducenta enim & ampliùs eorum millia concidit *C. Marius*, Romamq; ingenti trepidatione, & periculo liberavit.
Maxi-

Maxima hic Menſe Januario eſt captura ſalpæ, ſeu *ſztokfiſz*, qui piſcis eſt de genere *Aſellorum*, frigore duratur, & in varias Regiones deportatur, ſarmentis, ſeu aſſulis ligneis non melior, niſi ſcitè paretur. Equos alit Dania generoſos, & Catellos Meliteníes admodùm delicatos. Boum 50. millia quotannis in Germaniá mittit. In monte *Alberg* monumenta gigantum viſuntur. *Helcâ & Hecla* ignivomis montibus claret: piſcis ingens *Nahual* ibi capitur, longus 40. ulnas, qui in fronte cornu habet 7. cubitos longum, medeturq; venenis.

Hetruria, vide tit: Italia.

Franconia, olim huius gentis gloria, magna inter Germanos auctoritas & antiquitas. Proprios olim Duces habuit, eosq; potentiſſimos, quos inter *Goſvertus*, à Sancto *Kiliano* primus ad Chriſtiana Sacra perductus

eſt.

est. E Ducibus Franconiæ lectissimi non pauci Imperatores creati, summâ prudentiâ & æquitate Orbis Imperium administrârunt. E quibus Conradus I. An: Christi 912. *Conradus II.* cognomento *Salicus*, anno 1025. & *Henricus III.* anno 1040. egregiorum Principum partes strenuè impleverunt. Abundat Franconia rerum omnium copiâ, vini ac frumenti ditissima, alitq; magnam & egregiam Nobilitatem. Eam mediam amænissimus fluvius *Mœnus* intersecat, redduntque plures alii amnes, & fæcundissimam & gratiosissimam, habitá cæteroqui pro medulla Germaniarum.

Gallia commendatissima ab Incolarum comitate, fide erga Reges suos & amore, numero quoq; ingenti. Nam Henrico II. regnante, ad 15. milliones ascenderunt. Sola *Lutetia Parisiorum* circiter 900. Civium millia censet.

censet. *Ricciolus*, *Galliæ* absq; *Lotharingia*, *Alsatia*, *Artesia*, atq; *Ruscionensi* tractu 20. milliones hominum tribuit. Civitates numerantur 865. Archiepiscopatus 15. Episcopatus 120. Reditus Ecclesiæ Gallicanæ ad 104. milliones extendit *Ricciolus*. Galliam deinde commendant eximia in Sedem Apostolicam officia, Cleri eruditio, Universitas Parisiensis, Monarchiæ à 1200. annis constans duratio, Lutetia ipsa non tam Urbs, quàm Orbis Compendium; Religiosarum Familiarum Origines: ut *Cisterciensis*, *Præmonstratensis*, *Carthusianæ S. Antonij*, *Sanctissimæ Trinitatis*, *seu Redemptionis Captivorum*, & *Societatis JESU*.

Regum Galliæ prærogativæ sunt. mò. Quòd Chrismate cælitùs allato [a]d S. Remigium, unguntur in Reges. [2]do. Solo tactu scrofulas seu strumas [c]urant. 3tiò. Auriflammam seu Cru-

cem rutilantem, quæ Rhemis asser-
vatur, & stemma Liliorum divinitù
acceperunt. 4to. Ipso Inauguratio-
nis suæ die sub utraq; specie commu-
nicant. 5to. Non solùm in manibus
& humeris ut cæteri Reges, sed e-
tiam in capite unguntur. 6. Primo-
geniti Ecclesiæ, & Christianissimi vo-
cantur. Regi assistunt 12. Optimates
dicti *Pares Franciæ*, quòd pari inte-
se sint dignitate; nimirum sex Eccle-
siastici, & sex Laici, à Carolo magn
instituti. Regis Primogenitus *Delphi-
nus* vocatur à Provincia Delphin-
tûs, quæ eâ conditione Regibus Ga-
liæ donata est, ut ab illa denomin-
retur Primogenitus Regis. Parlam-
ti Parisiensis, quod 80. à Rege dep-
tatis constat, præcipua est authori-
tas, non raró ipsis Regibus gravis.

Tolosæ in cæmeterio PP. Franc-
scanorum, cadavera non putrescu-

Avenio-

Avenione, ſepties ſeptem notanda feruntur: 7. Urbis Portæ, 7. Xenodochia, 7. Monialium Monaſteria, 7. Urbis Paræciæ, 7. Religioſorũ Conventus, 7. Collegia, 7. Palatia. *Metis*, tam firma domorum ſunt tecta, ut tormenta per ea vehi poſſint. *Carnoti*, antiquiſſima colitur Imago B. V. prodigiis clara, quam multò ante Chriſtũ natum *Druidæ* veteres conſecrârunt Virgini Parituræ. *Lugdunum* celebre eſt Arâ illâ, ad quam à *Caligula* Cæſare certamen inſtitutum Græcæ Latinæq; facundiæ, quo victi ſcripta ſua, locò ſpongiæ, lingvâ propriâ delere debebant; aliàs ferulis caſtigabantur, vel *Rhodano* mergebantur. In Ponte *Aurelianenſi*, Statuam equeſtrem habuit *Joanna Darcia*, puella paſtoritia, quæ *Anglis* totâ ferè Galliâ ſubactâ inſoleſcentibus, & in Civitate Aurelianenſi Regem obſi-

denti-

dentibus: divinitùs juſſa militem profiteri, per gradus militiæ, ad ducendos aſcendit exercitus, Anglos variis cladibus fregit, & Aureliam obſidione liberavit. Puer paſtoritius ſupra Rhodanum fluvium rapaciſſimum, ſumptuoſiſſimum lapideum pontem ſtruxit. *Gallia*, olim *Romam*, *Italiam*, *Hiſpaniam*, *Germaniam*, *Græciam*, *Macedoniam*, *Aſiamq́*; ſubjugaverat dederatq́; Potentiſſimos Romano Imperio Cæſares: Carolum Magnum Ludovicum Pium, &c. nec ab ulla Familia, numerô Cæſarum eſt ſuperata, præterquàm à ſola Auguſtiſſima Domo *Auſtriaca*.

Germania, ſeu *Imperium Romanum Germanicum*, cultiſſimarum Regionum amplitudine, Principum copiâ ac potentiâ, Cleri divitiis, militum fortitudine, artificum induſtriâ, ſoli ubertate celeberrimũ. Sæculo poſt Chri-

ſtum

ſtum Dominum romo. Romanum Imperium pervenit ad Germanos, delatâ à Joanne 12. Imperiali Corona Ottoni I. Regi Germaniæ, de ſtirpe Ducum Saxoniæ: *Gregorius* verò V. Ottonis III. Imperat: ex ſorore Nepos, Apoſtolicâ Conſtitutione ſanxit, ut jus eligendi Imperatorem deinceps eſſet apud Principes Germaniæ. Nè verò multitudo Electorum pareret confuſionem & turbas: ad Septem-Viros redacta eſt ea poteſtas, ſcilicet *Moguntinum, Colonienſem, & Trevirenſem, Archiepiſcopos; Regem Bohemiæ, Saxoniæ Ducem, Marchionem Brandeburgicum, & Palatinum Rheni.* Quibus deinde acceſſit *Dux Bavariæ*, & his annis *Dux Hannoverenſis*; quorum ea eſt amplitudo ditionum, & potentia, ut non minimis Regibus ſint pares, & meritò à Regibus Fratrum nomine honorentur; ab omnibus Re

gali

gali titulo *Serenissimi.* Præter hos ornant Germaniam complures alii, tam Spirituales, (Episcopi & Abbates) quàm sæculares, *Sacri Romani Imperii Principes:* qui honor subinde Imperatorum favore extenditur ad externos etiam. Principū numerosam Coronam, seqvuntur sexaginta S. R. Imperii Comites & Barones; 63 insignes & liberæ Civitates Imperiales, Nobilium ingens copia, inter quos illi eximii, qui dicuntur *Immediata Imperii Nobilitas,* pariq; Comitibus immunitate gaudent. Insuper Ordinum Militarium, Supremi Magistri duo.

Academiis compluribus floret Germania, quarum præcipuæ sunt; *Viennensis, Pragensis, Coloniensis, Lovaniensis, Moguntina, Leodiensis, Lipsiensis, Basileensis, Trevirensis, Olomucensis, Friburgensis, Argentoratensis, Dilinga-*

na,

na, Ingolstadiensis. Herbipolensis, Francofurtensis ad Oderam.

Inter Urbes Germaniæ Superioris, fertur *Vienna* munitissima, *Ulma* ditissima, *Augusta* elegantissima, *Praga* maxima, *Francofordia* ad Mænum Emporiô nobilissima, *Norimberga* artificum solertiâ, *Treviri* vetustate insignes. *Colonia Agrippina* pro Germaniæ Roma habetur, tum ob multitudinem Civium, tum ob amplitudinem Mænium, 83. Turribus munitorum; Ædificiorum splendorē, Templorum multitudinem, Sacrorum Lipsanorum copiam, (præsertim *Sanctorum trium Regum, & undecim millium Virginum*) & immunitatem ab hæresi longè latèq; circumfusa, unde & Sanctæ nomen meritò obtinuit. Templa numerantur ibi tot, quot dies anni. Diœcesis Coloniensis sub Sigismundo Cæsare, habuit Paræ-

 cias

cias 1760. Monasteria 350. Sacerdotes 17000. Pontes in Germania celebriores sunt, *Ratisbonensis*, supra Danubium ingentis operis, *Misnensis*, ferè pensilis, *Basileensis*, supra Rhenū marmoreus, *Pragensis*, lapideus supra Maldavam ulnarum 872.

Turres famosæ sunt: *Viennensis* ad Basilicam Sancti Stephani, pedum 4343. cum dimidio; *Hildesbemiensis* ater Ecclesiam Cathedralem, aurô solidô tecta; *Pragensis*, insigni horologiô instructa; *Monasteriensis*, ad Ecclesiam Sancti Lamberti, è qua Turri pendet è cavea, Rex Anabaptistarūm obsidione captus.

Divisit *Germaniam* universam *Carolus Magnus*, in Superiorem & Inferiorem: Superiori dedit *Helvetiam*, *Alsatiam*, *Sveviam*, *Ducatum Vittebergensem*, *Bavariam*, *Franconiam*, *Palatinatum Rheni*, *Bohemiam*, *Moraviam*,

viam,

viam, Auſtriam, Styriam, Carinthiam, Carnioliam, Tyrolim, Inferiori attribuit *Belgicas omnes 17. Provincias, Epiſcopatum Leodienſem, Lotharingiam, Juliam, Cliviam, Veſtphaliam, Haſſiam, Thuringiam, Saxoniam, Miſniam, Luſatiam, Sileſiam, Marchiam Brandeburgicam, Pomeraniam, Ducatum Meckleburgenſem, & Holſatiam*, præter *Archiepiſcopatus Moguntinum, Colonienſem, Trevirenſem*. Hodie Germaniæ Inferioris nomine, ferè ſolum *Belgium* venit. Germaniæ Univerſæ 20. circiter hominum milliones tribuunt periti.

Helvetia, Provinciarum Germaniæ olim munitiſſima, feliciſſima, & liberrima, cuius amicitiam Regum maximi & ampliſſimæ Reſpublicæ certatim exambiunt, quin & auri vi maxima mercatur, ſola tempeſtatum & fluctuum Germaniæ, velut è portu mu-

 nitiſſi-

nitiſſimo ſpectatrix. Ipſi origine debet præcipua totius Germaniæ No bilitas, maiori ex parte illic primùm orta, & commorata, adeò deinde la diffuſa, ut Helvetiæ montes, Roman Nobilitatis aſyllum, Germaniæ inc nabula appellentur.

Hieroſolima, vide titul: *Palæſtina.*

Hiſpania, ultima terrarum *Europ* *Africam* verſùs & *Americam*, olim *beria*, ſpecialem habet gloriam, 1m quòd eius Rex *Catholici* elogiô hon retur; 2. quòd in eiuſdem ditio ſol nunquàm occidat; & juxta di Regis Perſarum, ſolem habeat p galero; 3. nullus unquam Mon charum tam amplam habuit ditio nemo tam diſſitam, tam feliciter bernavit; 4. Hiſpania, dum arma gè latèq; circumfert: ipſa à mu iam tempore in pace eſt, in confi bus Galliæ inquietatur. 5. in om

bus quatuor Orbis partibus latè dominatur. 6. in America non minùs Apostolatum, quàm mercatum exercet. In solo Occidente supra septuaginta millia Templorum ab Hispaniæ Regibus erecta, scribit Lohnerus in Biblioth: t. Templum, à solo Jacobo Rege in Hispania 2. millia. 7. Elogium datum olim *Hiberniæ*, quòd sit *Patria Sanctorum*, iam occupavit Hispania.

Dividebatur olim in Regna complura; ut *Legionis*, *Castellæ Veteris*, *& Novæ*, *Arragoniæ*, *Portugalliæ*, seu *Lusitaniæ*, *Navarræ*, *Granatæ*, *Valentiæ*, *Toleti*, *Gallaciæ*, *Algarbionū*, *Catalauniæ*, *Asturiæ*, *Maioricæ*, *Minoricæ*, *Murciæ*, *& Cordubæ*, quæ iam in unam Monarchiam coaluerût, exceptâ Lusitaniâ.

In America præter multas amplissimas Insulas, tantùm terrarum perti-

net ad Hispaniam, ut meritò Novū Orbis ille tractus dicatur. Illud valde mirum, quomodò natio non adeò populosa suffecerit tot populis subigendis, & in Officio continendis. Nam *Boterus* & *Nicolosius*, vix decem milliones hominum ipsi tribuunt: è quibus centum septuaginta novem millia sunt Religiosi & Ecclesiastici. *Matriti* censentur hominum centum quinquaginta millia. *Granata* in ambitu suo mille circiter turribus eminet. *Hispali* Magnificentissimum Beatissimæ Virginis Templum, in reditus annuos habet 120000. millia aureorū, quibus aluntur Ecclesiastici 400. *Archiepiscopus Toletanus* annuum proventum dicitur habere ducenta sexaginta millia aureorum. *Hispalensis*, centum millia aureorum. *Valentiæ* asservatur Calix Cænæ Dominicæ.

Jactat Hispania tria mirabilia: Civita-

vitatem igne circumdatam, *Matritum* ſcilicet, cuius muri è ſilicibus conſtructi. 2. Pontem, ſupra quem decem millia pecorum paſcuntur: quia fluvius *Guadiana* tot milliaribus infra terram fluit, ac tandem erumpit iterum. 3. Fluvium ſupra pontē manantem, ſcilicet aquæductum copioſum *Segobiæ*.

Ordinum Equeſtrium, præcipua habetur dignitas in Hiſpania: inter eos maximè celebres ſunt de *Avis*, & *de Chriſto*, *Sancti Jacobi*, *Alcantaræ*, *Calatranæ*, Rhodienſium, & *Monteſiæ*. Fluviorum per Hiſpanias, Principes ſunt: *Minius*, *Durius*, *Tagus*, *Betis*, *Iberus* & *Ana*, ſive *Guadiana*. Viris eruditis non minùs abundat Hiſpania, quàm Italia, Gallia, &c. Celebres habet Academias: *Salmanticenſem*, *Tarraconenſem*, *Toletanam*, *Matritenſem*, *Hiſpalenſem*, *Granatenſem*, *Compoſtellanam*,

lanam, Barcinonensem, Vallisoletanam, Valentinam, Savilensem, Osvenensem, Huescensem, Saragoscinsem, Alcalensem, Sigvenicam, & Leridensem.

Hollandia, v. tit: Belgium, seu Inferior Germania.

Hibernia, vicina Angliæ Insula, tam multos verâ & vivâ Fidei eximia pietate, virtute mirâ præstantes habuit Viros, ut *Sanctorum Patria* diceretur. Miraculis naturæ abundat, & inter hæc stupenda illa sunt, quæ de antro *Sancti Patricij Thaumaturgi Episcopi* scribuntur: Nullum in Hiberniæ Regno olim percelebri reperitur animal noxium & venenatum, nec araneus quidem, aut rana, & aliunde illatum, illicò moritur. Vaccæ ibi lac non dant, nisi præsente vitulo, aut ejus simulacro. In Insulis *Aram*, corpora sub dio jacent incorrupta. Fons est, quò loti canescunt

Insu-

Insula est in lacu, propè antrum Sancti Patricij, in qua ægri mori non possunt, nisi deferatur ad aliud littus.

Italia, Florentissima Europæ pars, longitudinis ducenta circiter magna milliaria Germanica habet, latitudinis minimæ triginta duo milliaria. *Ælianus* olim numeravit in ea Urbes 1166. inter quas *Sybaris*, qu& trecenta armatorum hominum millia eduxit contra *Crotoniatas*, teste *Diodoro* & *Strabone*, sed iam vix nomine superest. Undecimo Christi Domini sæculo *Gvido* de Italiæ Urbibus numeravit Civitates vastiores 700. hoc demum sæculo *Ricciolus* 434. quarum 300. sunt Episcopales. In his & tota Italia numeravit *Boterus* novem circiter milliones hominum; *Sabellicus* vix septem; *Ricciolus* in sua Geographia exclamat: O stupendam humanæ mortalitatis vicissitudinem! ducen-

torum olim millionum *Italiam*, nunc totam ad eum numerum redactam esse, quem sola Roma sub *Augusto* implevit.

Cæterùm defectus in hominum Urbiumq; numero, abundè compensatur prærogativarum excessu, quæ ex elevata in *Petri* Sedem Urbe, in universam derivantur Regionem. Eò enim gloriæ provectam videmus, ut effecta Gens Sancta, Populus electus, Civitas Sacerdotalis, & Regia, latiùs præsideat Religione Divinâ, quàm olim dominatione terrenâ. Licèt enim multis aucta victoriis, jus Imperii sui terrâ mariq; protulerit: minùs tamen est, quod ei labor bellicus subdidit, quàm, quod pax Christiana subjecit, ut notavit magnus LEO. Ex Urbibus *Italiæ*, vulgò dicitur *Roma* Sancta, *Neapolis* Nobilis, *Venetiæ* Opulentæ, *Genua* superba Ædificiorum

rum splendore, *Mediolanum* amplú, *Bononia* Fertilis, *Rāvenna* Vetusta, *Padua* Docta, *Florentia* Pulchra, *Loretum* floridum, à Sancta *Æde Nazarena*, in qua *Radix Jesse* Flore Divinô effloruit.

Sancta est Roma, Officiô Sanctissimô *Vicarij Christi*, Sanctorum *Apostolorum*, & aliorum præcipuorū Sanctorum Corporibus depositis, variis aliis Sacris Reliquiis, innumerabilium Martyrum Sangvine, Ecclesiarum & Religiosorum multitudine, Constitutionum deniq; quæ pro universa Ecclesia, in materia Fidei, & morum inde emanant, Sanctitate.

Nobilis est Neapolis, tum Ædificiorum structurâ, tum Nobilium copiâ. In Regno Neapolitano viginti Principes, viginti quatuor Duces, quadraginta Marchiones, quinquaginta quatuor Comites, 1400. Barones nu-

merantur. Sed hanc Nobilium copiam obſcurat aliquantùm copia luſorum? ſiquidem annuum vectigal à ſolis chartis luſoriis importat 1530. aureos. Totius Regni proventus annuus, ad viginti tres milliones, & quingenta millia aureorum aſcendit. Deliciis *Campaniæ*, nè diſſolvantur Neapolitani, còërcet ignivomus *Veſuvius*, *Veſuvio* frigidam Sangvis Sancti *Januarij* Martyris affundit. Archiepiſcopos habet viginti, Epiſcopos ducentos & ſeptem.

Venetam Liberrimam Rempublicam, non opes tantùm commendant, ſed etiam mira Urbis ſtructura, magno milliari avulſæ à continente. Canalibus 400. in Inſulas 60. diſtingvitur, & pontibus conjungitur 400. In Templo primario Sancti Marci, Turris ad pedes Geometricos 250. in altum aſcendit. Pavimentum ſpecioſiſſimô

ſſimò marmore ſtratum, & armamentarium viſendum cum eximia *Cardinalis Beſſarionis* Bibliotheca habet.

Genua ſic Ædificiis ſuperbit, ut in platea, quæ nova dicitur, nulla ſit domus, in qua non poſſit Rex, vel Potentiſſimus quiſq; Princeps hoſpitari pro dignitate. Similibus non paucis Palatiis etiam Suburbia gloriantur.

Mediolani amplitudinem, Arx ferè totius Orbis munitiſſima ſpectabiliorem facit, ſed magis rara Eminentiſſimi Cardinalis, & Archiepiſcopi Mediolanenſis, Sancti *Caroli Borromæi* Sanctitas.

In *Italia* laudatur marmor *Liguſtricum*, *cryſtallus Veneta*, equi *Neapolitani*, Vinum *Setinenſe*, Falernum, Albanum, Maſſicanum, &c.

In Italia Dominia, imò. *Pontificis Romani*, ad quem ea pertinet pars Italiæ, quæ *Status Eccleſiaſticus* dicitur,

tur, in quo sunt: 1mò. *Latium*, seu Territorium Romanum, in quo Caput Orbis *Roma*, *Tusculum*, *Alba*, *Tivoli*, *Ostia Tiberina*, 2dò. *Patrimonium Sancti Petri*: in quo *Viterbium*, Civitas Vechia, olim Centum Cellæ, *Perusia*, *Orvietum* Ducatus *Castro*, *Bracciánum* &c. 3tiò. Ducatus *Spoletanus*, *Nuceria*, *Eugubium*, *Fulginium*, *Assisiu*, *Interamnia*, *Narnia*, *Mons Falconis*. &c. 4tò. Ducatus *Urbinas*, in quo *Urbinum*, *Fanum*, *Pisaurum*, *Senoglia* &c. 5tò. *Marchia*, in qua *Ancona*, *Macerata*, *Loretum*, *Recanetum*, *Fabrianum*, &c. *Portus Anconæ* tam celebris est, ut proverbio locum dederit: *Unus Petrus in Roma*, *una Turris in Cremona*, *unus Portus in Ancona*. 6tò. *Romaniola*, olim *Flaminia*, in qua *Ravenna*, *Arimiaum*, *Forum Livij*, *Imola*, &c. 7timò. *Territorium Bononiense*. 8vò. *Ducatus Ferrariensis*. Habet præterea

terea Pontifex Romanus in Regno Neapolitano, *Beneventum*; in Gallia, Ducatum *Avenionensem*, &c. Regis Hispaniæ, est Regnum Neapolitanũ, Ducatus Mediolanensis, & quædam loca munita in *Tuscia*, & in Statu *Genuensi*.

3tiò. Reipublicæ Venetæ, est *Status Venetus*, *Marca Trevisana*, *Istria*, *Forum Julium*. & pars *Lombardiæ*.

4tò. Magni Ducis Hetruriæ est Ducatus *Florentinus*, cum Territorio *Pisano & Senensi*.

5tò. Ducis Sabaudiæ, præter Sabaudiam est *Pedemontium*.

6tò. Genuensis Reipublicæ, præter *Liguriám* est *Corsica Insula*. Reliqua possidet Dux Parmensis, Mantuanus, Mutinensis, Mirandulanus, Archiduces Austriæ, in *Istria & Foro Julio*; Respublica Lucensis, Helveti &c. Italia universa numerat Ar-

chie-

chiepiſcopos cum Epiſcopis trecentos, Academias viginti: *Romanam Patavinam, Bolonicam, Ferrarienſem, Patavienſem, ſeu Padvanam, Neapolitanam, Salernitanam, Piſanam, Medionanerſem, Sienſem, Bononienſem, Taurinenſem, Peruſinam, Florentinam, Maceratenſem, Mantuanam, Parmenſem, Meſſanenſem, Catanenſem, Calaritaná.*

Lithvaniæ Magnus Ducatus, vide tit: Polonia.

Luſitaniæ Regnum, ſeu *Portugalliæ*, proprium Regem nactum eſt circa Annum Domini 1100. Alphonſum I. ex Comite *Lotharingiæ*, & Filia Regis *Caſtellæ* natum. Suas in Europa anguſtias, ſtudiô dilatandæ Religionis Sanctæ Catholicæ ampliavit vaſtiſſimè, cùm in Indiis Orientalibus ubi ampliſſimâ poſſidet *Braſiliam*, tum in *America* & Orientalibus, ubi complures eaſq; opulentas numerat Provincias

vincias, præter varias Inſulas in Oceano, & Emporia. In Africa habet Archiepiſcopos tres, Epiſcopos 13. Academias tres: *Conimbricenſem*, *Eborenſem*, *atq; Lisbonenſem*, *ſeu Ulisſiponenſem*: quinque Duces, triginta Comites, ſeptem Marchiones.

Moſchovia continet quatuor Regna, ſcilicet *Caſani*, *Aſtracaniæ*, *Bulgariæ*, *Sibiriæ*. Viginti quatuor Ducatus, inter quos eminent: *Novogrodia*, *Volodimiria*, Rezanum, *Smolenſcum* (cuius Metropolis inſigni mœnium craſſitie gloriatur) & *Kijovia*, ubi Græca Academia, & ingentes ſubterraneæ cryptæ, Monachorumq; copia. Duo Principatus, 15. Dominationes, & Regiones 4. quæ jam ad confinia Tartaroſinenſis Imperii excurrunt, iam ad mare album, Orientale, Caſpium, & ad Pontum Euxinum terminantur. Famoſiſſimus in

Moſchovia eſt Portus *Archangeli*, & Fortalitium *Peterburgenſe*, pelliumq; præſtantiſſimarum ingens copia, præſertim zebellinarum. Latitudo huius Imperii eſt milliarium 450. longitudo 800. Czarus *Petrus Alexij* natus eſt Anno 1672. *Neapolitanum Regnum*, *vide tit: Italia.*

Norvegia, vide titul: Dania.

Palæſtina, ſeu Terra Sancta, Nobiliſſima *Syriæ* Regio eſt, aliás *Chananæa*, ſeu Terra *Chanaan* dicta à *Chanaan* filio *Cham*, filii *Noè*; DEI juſſu & potentiâ ſubegit eam *Joſve* 31. Regibus occiſis, diviſitq; 12. Tribubus Filiorum Iſrael. Longitudo eius ab Aquilonati Civitate *Dan*, ad radices montis Libani ſita, meridiem verſus, uſq; ad *Berſabee* Civitatem vix excedit milliaria ſexaginta ſeptem, quæ ſingula unius horæ itinere confici poſſunt. Latitudo ab Occidente, &

Mari

Mari Mediterraneo in Orientem, usq; ad Jordanem fluvium, non excurrit ultra triginta milliaria Germanica & Polonica; sed intra tantas terminorum angustias infinitum continebat populum.

Idonei Authores apud Patrem Nicolaum Lancicium S. J. *Opusc*: 20. *n.* 58. tempore Davidis, solorum Sacerdotum numerant ibi plura, quàm 120. millia, Levitarum autem plus, quàm 600. millia. Quod Regnum Christianum, licèt decuplô majus, tot alit Christi Ministros? & tamen Politici queruntur: Regna gravari multitudine Spiritualium, eorumq; nimias esse opes. Sacerdotum & Levitarum illorum longè majores fuisse demonstrat idem Pater Lancicius a. n. 61. productis 20. speciebus variorũ proventuum, jure Divinô ipsis assignatorum. Non divitiæ Spiritualium, sed avari-

avaritia sæcularium, luxus, fraudes, & rapinæ exinaniunt Regna.

Elogium Terræ, *lacte & melle manantis Palæstina* sortita est ab ipso D. DEO, ob singularem Cæli temperiem, optimi àëris salubritatem, pecorum, avium, piscium, frumenti, vini, olei, sacchari, balsami, ficuum, malorum granatorum copiam; amænissimorum camporum, montium, fluviorum, nemorum, Urbium, Castellorũ, pagorum, hominum frequentiam, omnium deniq; rerum abundantiam, & præstantiam, ut cum ipso Paradiso in certamen venire potuerit; si quidem illi nec *Lignum Vitæ* defuit *Crux* nempe *Salvatoris.*

At sublimius est Elogium *Terræ Sanctæ*, quòd non solùm Patriarcharum fuerit Colonia, Prophetarum Domicilium, & Sanctissimorum Regum Patria, sed IPSUM CARO FACTUM

CTUM DEUM exceperit Naſcentem, aluerit Natum, cum hominibus converſantem portaverit; quòd ſola Myſteriorum maximorum conſcia, Divinis & lachrymis, & ſudoribus, & ſangvineis fontibns ſanctificari promeruerit; quòd quem vivum velut ulnis portaverat, mortuum triduò viſceribus ſuis geſtaverit, & rurſus vivum Mundo reſtituerit; deniq; Glorioſiſſimum Triumphatorē Cælo reddiderit, pro ipſo Divinum Paracletum receperit, & Apoſtolorum prædicatione, virtutibus, ac miraculis prima fuerit exculta, & illuſtrata.

Huius *Judeæ*, ſeu *Terræ Sanctæ*, Flos, Gemma & Corona fuit *Hieroſolyma*; Civitas DEI electa, fundata in Montibus Sanctis, Feliciſſima Cæli ſoliq; bonitate, Ædificiorum ſplendore admiranda, Domina Gentium, à rivulo Ægypti, uſq; ad fluvium ma-

gnum.

gnum Euphratem; deniq; Divinô Oraculô: *Urbs perfecti decoris, Gaudium universæ Terræ. Thren: 2.* Condita primùm fuit à Melchiſedech Rege & Sacerdote, poſtea à Jebuſæis occupata, annis ampliùs 800. ab eis poſſeſſa, demum à Davide Rege Iſraelis expugnata, ab eo Arce munitiſſimâ, à Filio eius Salomone, Templô admirandô & opulentiſſimô, ab aliis Regibus, Palatiis, Turribus ex candido marmore exornata eſt adeò, ut totius Orbis eſſet miraculum, teſte *Adrichomio in Theatro Terræ Sanctæ.*

Hoc ornatu & ſplendore floruit Hieroſolyma annis 400. & ultra, habens circuitum quinquaginta ſtadiorum, & per gyrum Urbis foſſam in lapide exciſam ſexaginta pedum profunditate, latitudine verò 250. in qua commorabantur hominum circiter centum quinquaginta millia. Per impieta-

pietatem populi occupavit eam, & funditùs evertit Nabuchodonoſor Rex *Babylonis*, ita, ut Arx *Sion* quaſi ager araretur, & Hieruſalem unus lapidum acervus eſſet; Mons, in quo Templum fuerat, abierit in ſylvam, & juxta Sanctum Hieronymum, nec avis volaverit, nec beſtia per eam tranſierit. Poſt 70. annorum deſolationem, favente *Cyro Perſarum & Medorum Rege*, Urbs reſtaurata eſt à *Neemia*, & poſtea à Machabæis & Herode magnificè exornata unà cum Templo; floruitq; glorioſa, donec in vindictam Divini Sangvinis à *Tito Veſpaſiano* everteretur funditùs, cæſis undecies centenis Judæorum millibus. Tres ſolùm integræ relictæ ſunt Turres ſpecioſiſſimæ, ab Herode extructæ; ut monumentum eſſent perpetuum fortitudinis *Romanorum*, & impietatis *Judæorum*, ſed has ipſas

poſt

post annos sexaginta quinque, rebel-
lantibus Judæis domitis, diruit *Æliu*
Adrianus Imperator, jussitq; locu
Civitatis sale aspergi, *Æliam* tame
priori vicinam ædificavit Civitatem
intra eius mænia includendo monte
Calvariæ, & Sepulchrum Domini, qu
Æliam Capitolinam vocari voluit. In
fronte portæ, quà *Bethlehem* ibatur
suem in marmore sculpsit, ad igno-
miniam *Judæorum*, quibus edictô pro-
hibuit, nè Urbem illam ampliùs in-
troirent, aut ex loco aliquo eminen-
tiore aspicerent.

Devenit ea postea in potestatem
Christianorum, & iam tempore *Con-
stantini Magni* Episcopũ habebat *Ma-
carium*, ad quem eiusdem Constanti-
ni literæ, de extruenda Basilica Ma-
gnificentissima in loco Sepulchri Do-
minici, extant apud *Baronium* Ann.
326. n. 31. ex *Eusebio*, sublatoq; Æli

Capi-

Capitolinæ nomine, dicta Hierosolyma, atq; Patriarchali Sede honorata. sed Anno Christi Domini 636. à Saracenis Ægyptiacis occupata, donec Anno 1099. à Christianis, Duce Godefrido *de Bullion* recuperata fuit, Feriâ 6. horâ 9. quâ Christus Dominus expiravit. Sed non diuturna fuit Christianis ea felicitas; post octoginta octo annos, nova illa Hierusalem à *Saladino* Ægypti Soldano ditione occupata est. Anno autem Christi Domini 1527. à *Selymo* Turcarum Imperatore subacta est.

Veteris Hierosolimæ loca celebriora fuerunt: Mons *Sion*, seu Mons Domini, & Mons Sanctus, qui cæteris omnibus montibus eminebat, in solida rupe fundatus, verticem habuit insigni planitie amænum, in quo *David* sibi Arcem, & Heroibus suis Civitatem ædificavit, dictam Civitas *David*,

 mæni-

mænibus, turribus, & horribilibus præcipitiis munitissimam, solâq; fame subigendam: sed à *Tito Vespasiano* sinè ulla sangvinis effusione subacta, Judæis territis diffugientibus. In hac Civitate *David* erat Cænaculum illud, in quo cum Discipulis suis Christus Dominus ultimam Cænam sumpsit, Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum instituit, post Resurrectionem Discipulis apparuit, & postea Spiritum Sanctum misit. Ibidem erat Domus Annæ, & Palatium Caiphæ Pontificum, Domus, in qua Beata Virgo cum Sancto Joanne post Christi mortem habitavit; Sepulchrum Davidis & aliorum Regum Juda; Tabernaculum Sion pellibus tectum, in quo Arca deposita fuit, ante Templum constructum; Torcularia Regis, ad exprimendum vinum Regium, &c.

Civitas inferior, quæ ingenti vora-

gine à ſuperiore Civitate David dividebatur. In Scriptura Sacra paſſim appellata *Filia Sion*, occupabat medium totius Urbis; nam à meridie habebat Civitatem *David*, à Septemtrione Civitatem ſecundam, & novam, de quibus infrà. In ea Civitate videbatur primò Mons *Moria*, in quo Abraham filium ſuum *Iſaac* immolare juſſus erat. 2dò. Templum *Salomonis* in eodem Monte conſtructum, operâ 153. millium hominū. 3tio. Domus *Saltus Libani*, cum amænissimis Viridariis, fontibus, piſcinis, á Salomone conſtructa. 4to. *Piſcina probatica*, in qua victimæ litandæ lavabantur, & ægri ad commotionem aquæ ab Angelo ſanabantur; pro quorum commoditate porticus quinque habebat opportunas. 5to. Palatium *Salomonis* ſumptuoſiſſimum, & propè illud Palatium Reginæ, filiæ *Pharaonis*.

6to. Palatium Machabæorum loco excelſo. 7mo. Palatium ſeu Prætori-um Pilati, aliorumq́, Præſidum Ro-manorum in loco ita eminente ſitum, ut viginti octo gradibus marmoreis ad illud aſcenderetur, per quos cùm Chriſtus Dominus in Paſſione ſua bis aſcenderit deſcenderitq́; & par-tem etiam aliquá Sangvine ſuo poſt flagellationem, & ſpineam coronatio-nem tinxerit, (quæ nunc cancellis eſt incluſa) Romam tranſlati ſunt, & propè Baſilicam Sancti Joannis La-teranenſis conſtituti; magnâ piorum devotione, flexis genibus aſcendun-tur, atq́; Scala ſancta appellantur. Huic Palatio contiguus eſt *Xyſtus*, ſeu ambulacrum lapideum, præalti columnis impoſitum, per modũ pon-tis, per quod ad arcem Antoniam e-rat tranſitus ex Prætorio. Ex hoc Xyſto ſolebat Præſes alloqui popu-
lum

lum infra collectum, & Pilatus monstravit Christum dirissimè flagellatū: *Ecce Homo.* 8vo. Arx Antonia, quá ex Palatio Hyrcani Machabæi in Arcem munitissimam vertit Herodes, & in gratiam *Marci Antonij* sibi amicissimi *Antoniam* appellavit. 9no. Amphitheatrum amplissimum capax octoginta millium spectatorum, ab eodem Herode Ascalonita constructū. 10mo. Curia 70. Seniorum, seu Concilii *Sanhedrim*, &c. Civitas secunda à latere septemtrionali *Filia Sion* posita, & ab eadem murô turritô sejuncta, quam potissimùm commendabat magnificentissimum Palatium *Herodis Ascalonitæ*, in quo Christus præsentatus fuit Herodi Antipæ, Tetrarchæ Galileæ, & ab eo illusus.

Civitas nova dicta *Bozetha*, adjacens Civitati secundæ, murô & turribus ab eadem distincta. Hanc potssimûm

ſimúm incolebant lanæ venditores, fabri ærarii, aliiq; artifices, eratq; ibi veſtium mercatus.

Via Crucis, quam ſcilicet Chriſtus Dominus morti adjudicatus, à Prætorio Pilati cruentis greſſibus uſq; ad montem Calvariæ confecit. Huic viatores Chriſtianos, vel maximè intentos eſſe oportet; deſcribit eam *Adrichomius* ſic: Incipiens Salvator à Prætorio Pilati, per 26. greſſus, qui faciunt 65. pedes, ad locum proceſſit, ubi Crux ei impoſita eſt. Inde proceſſit verſùs Calvariam, inter ſeptemtrionem & occidentem ſitam, per 80. greſſus, ſeu 200. pedes, ubi primò cum Cruce cecidiſſe traditur. Ultra progreſſus per 60. greſſus, & tres pedes, ſeu 153. pedes, obviam habuit Sanctiſſimam Matrem ſuam cum Sancto Joanne. Rurſus per 71. greſſus, & ſeſqui pedem, ſive 179. pedes proc-

cedens,

cedens, pervenit ad trivium quodam, ubi Simon Cirenæus coactus est Crucem portare post eum. Confectis inde 191 gressibus cum semipede seu 478. pedibus ab occurrente *Veronica* sudarium accepit. Postea per 326. gressus & duos pedes, seu 842. pedibus attigit Portam judiciariam in ipsius Urbis mænibus sitam, ubi rursus cum Cruce lapsus fertur. Inde saxosa, & paulatim ascendente via septemtrionem versus processit extra Urbem per 348. gressus, & duos pedes, seu 872. pedes ad bivium quoddam, ubi mulieres plorantes allocutus est. Tandem per 165. gressus, & sesquipedem, seu 404. pedes accessit ad radicem montis Calvariæ, ubi ultimò cecidit, mox per 18. gressus, sive 45. pedes attigit locum, in quo à lictoribus vestibus spoliatus, & vinô myrrhatô felle mixtô potatus est.

Dehinc poſt 12. greſſus, ſive triginta pedes, clavis Cruci affixus eſt. Deniq; per 14. greſſus, ſeu 35. pedes delatus eſt ad locum, ubi Cruce in foramine rupis fixa, ſublatus eſt in altum Dominus JESUS, ſpectaculũ inauditum futurus DEO, Angelis, & hominibus. A Palatio itaq; Pilati, uſq; ad locum Crucis, ſunt greſſus 1321. ſeu pedes 3303.

Extra Urbem celebriora loca fuerunt: 1. Torrens & Vallis *Cedron*, ſeu vallis *Joſaphat*, inter Urbem & montem *Oliveti* ſita. 2. Fons *Siloe*, ex radice montis *Sion* ſcaturiens, collectus in piſcinam, ſeu Natatoriam *Siloe*. 3. Hortus Regius in ſuburbanis, qui & concluſus dicebatur. 4. Mons *Oliveti*, ad latus Urbis Orientale, ad cuius radices erat Villa *Gethſemani*, ultra quam vicinus, ſed paulò eminentior Hortus *Olivarum*. 5. *Bethania*

nia Caſtellum Lazari, paulò ultra montem Oliveti. 6. Ad latus Urbis ſeptemtrionale, mons Calvariæ eiq; propinqvum Sepulchrum Domini, qui eſt ſuper omnia DEUS Glorioſus in ſæcula.

Poloniæ Regnum, & Magnus Ducatus *Lithvaniæ*, Ducatuſq; *Ruſſiæ*, *Pruſſiæ*, *Maſoviæ*, *Samogitiæ*, *Livoniæ* &c. ut olim *Sparta*, non tam mæniũ mole, Urbiumq; munitione, quàm fortibus Viris, ſplendoreq; Nobilitatis gloriantur; quorum ſummum, & vitâ charius decus eſt *Aurea Libertas*, & affinis ipſi liberi oris facundia, qualem vel in medio *Latio* quæſieris. Nemo Regum in *Europa* tam latè imperat, quàm Rex *Poloniæ*, nemo tam frequenti ſplendidoq; ſtipatur Senatu. Senatores Regni opibus potentes numerat *Starovolſcius* 147. de quibus vide ſuperiùs.

Amplitudini ditionis detrahunt imperiti quidam, objectantes infrequentiam Incolarum, & copiam sylvarũ, sed vel inde facilè arguuntur erroris, quòd ad Electoralia Comitia in Campum Martium propè *Varsaviam* confluant multò plura, quàm 100. millia solius Nobilitatis. Licèt verò aliqui sint tenuioris fortunæ; pleriq; numerosis gaudent subditis, plurimi millibus; non pauci justum Exercitũ è millibus suis scribebant contra hostes Patriæ, & nunc etiam educere possunt. Adde subditos Spiritualiũ, Ecclesiasticorum, Religiosorum numerosos, adde Incolas Civitatum, Judæos, Tartaros, &c.

Anno 1697. inito in Magno Ducatu Lithvaniæ censu, inventa sunt 257. millia focorum, & 154. foci eorũ tantùm, qui ad contributiones publicas tenentur. Ubi Ecclesiastici, ubi

Nobi-

Nobilitas, Milites, & famulorum agmina &c. deinde, ad unum focum quot spectant capita? Olim Magno Duci Lithvaniæ trecenta & ampliùs hominum millia in aciem educere, quæ potissimùm suppeditabat *Vilna* Metropolis, non erat operosum.

Alter non levior error Geographorum, Scriptorumq; aliquorum, qui eadem facie repræsentant nunc Poloniam, Lithvaniam, aliasq; eis junctas Provincias, quâ olim squallebant, cùm interea allaborante cultiore tempore elegantiores emerserint. Non desunt sua decora *Cracoviæ & Vilnæ*, habet quibus superbiat magnifica Palatia Regum Sedes *Varsavia*: quin tota Regio passim Aulis Nobilium ceu campus amænus vernātibus flosculis est distincta. Quod scribitur autem Lithvaniæ Magnum Ducatum adiri non posse, nisi hye-

mali tempore, vel ignorantia eſt, vel impudens maledicentia; licèt enim non deſint loca quædam paluſtria, quanta hæc pars Lithvaniæ? Commeamus ultrò citrôq; quovis anni tempore, nec auditur de funeribus viatorum ſubmerſorum. Sed omiſſis hiſce imperitorum ineptiis, luſtremus curſim memorabilia Poloniæ: Salisfodinas *Bochnenſes & Vieliſcenſes*, ubi marmorum locò, columnæ ſalis eruuntur; fodinas nitri apud *Viſlici am*? cupri & carbonum apud *Tenciam*; chalybis apud *Podolentiam*, ferri apud *Olſtiniam*, & plurimis aliis in locis; plumbi, argenti, & auri; in Palatinatu Cracovienſi & Sendomirienſi; marmorum omnis generis colorum apud *Seleciam*. Cracoviæ in Baſilica S. Staniſlai Epiſcopi & Martyris viſuntur duo ex ſolido argento Altaria, alterum à Sigiſmundo I. Rege,

ge, alterum ab Anna Regina constructum. In eadem Ecclesia nunquam est silentium, sed semper alternantibus Choris, diu noctuq; resonant DEI laudes, & inter 100. quotidiana Sacrificia, octo sunt cantata, inter mille & octodecim Templa Diæcesis Cracoviensis, novem sunt Collegiata. Agri *Poloniæ & Lithvaniæ*, Provinciarumq; illis incorporatarum, eâ frumenti abundant copiâ, ut ferè tantùm variis Emporiis importetur, quantûm toti alendæ Europæ sufficit.

Prussiæ Regio ea est, quam natura & ars singulari studiô excoluisse videtur, ut iam certent fæcunditas agrorum atq; lacuum plurimorum, cum frequentia & elegantia Civitatum, industria hominum, cum naturæ sagacitate. *Prussia* Regalis cum *Brandeburgica* Ducali; portus opportunissimi cum Navium copia, *Regiomontum*

cum

cum *Gedano*, nobilissimô Emporiô, atq; Regibus Poloniæ semper addicta, ac fideli Civitate, *Elbinga* cum *Thorunio*. *Varmiensis* deniq; Episcopatus, Antistite, S. Romani Imperii Principe inclytus, magnâ admiratione & maximis laudibus dignus est, quòd in ipso medio acatholicorum semper vigeat incorruptus.

Rheni Palatinatus v. tit: Germaniæ.

Sardinia Insula Regni honore insignis, sed aurâ pestilente infamis est. Herba nascitur in ea *Sardonica* dicta, quæ nervos comedentium ita contrahit, ut morientes ridere videantur. Unde paroemia: *Risus Sardonicus*, Hispanis paret Regibus. *Sardiniæ* vicina *Corsica*, *Genuensis* est Reipublicæ; raræ magnitudinis vertagos, & valde parvos gignit asellos. *Melita* etiam *Equitum* Palæstra celeberrima, mole exigua, sed Viris fortibus magna, ex-

quò

quò S. Paulum Apoſtolum excepit hoſpitem, nulla parit venenata animalia: imò terra eius amuletum eſt contra omnia venena. *Vulcanias* Inſulas celebrent *Brontes*, *Steropesq́*, & nudus membra *Piracmon*.

Scotiæ Regnum, vicinum eſt *Angliæ*, habet 35. Provincias, 30. Inſulas Orcades, 44. Inſulas Nebreides, Archiepiſcopos 2. Epiſcopos 11. Academias 4. Equeſt: Ordines 2. S. Andreæ, ac Cardui & Tefferæ, In *Scotiæ* nulla domus diſtat ampliùs à mari, quàm viginti leucis. In *Caricta* ſunt ingentes boves, quorum pingvedo non concreſcit, ſed inſtar olei diffluit. In *Loumontio lacu* piſces carent pinnis. In *Orcadum* Inſula una, arboris cujuſdam folia in amnem prolapſa, in volucres verti feruntur. Scoti utuntur lapidibus pro lignis, quos etiam eleemoſinæ nomine dant pauperibus.

Sicilia eſt proxima *Italiæ*, Inſularū Mediterranei maris celeberrima & maxima, fertiliſſimaq;, ſortita Regni honorem, ſed Regi *Hiſpaniæ* ſubjecta, dictaq; olim *Horreum Italiæ*,. Nobilitant eam *Meſſana, Panormus, Syracuſa, Catana*, & plurimæ aliæ Nobiliſſimæ Civitates, ſed non minùs *Archimedes* & *Euclydes* Mathematici, *Dædalus* Architectus, *Sybilla, Cumana*, ſed magis Sanctæ Agathæ Virginis Martyris ſepulchrum. Illuſtrat *Siciliam* ignivomus *Ætna*, qui Anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſexageſimo nono fluvium effudit igneum, latitudine duorum milliarium Italicorum, profunditate ulnarum ſex, ad cuius tamen radices generoſiſſimum naſcitur vinum. Eam infamant famoſiſſima naufragiis in mari *Siculo* loca, Scylla & Charibdis, illa ſcopulis, hæc voragine metuenda. Memorabilem e-

tiam

tiam faciunt *Siculæ Veſperæ*, *Gallis* fatales. Sed ipſi Inſulæ non raró fatales incumbunt terræ motus: horribiliſſimus horum fuit Anno centeſimo, ſexageſimo quarto, quò conciderunt ſeptuaginta Civitates, oppreſſit hominum circiter centum millia.

Svecia, ſeù *Gothia*, humanior & amænior eſt, *Finnomarrchiâ* & *Lappiâ* Regionibus, admodùm frigore & rupibus rigidis, & hoſpites arcentibus. Metropolis Regni Svetici *Stockolmia*, loco paluſtri inſtar *Venetiarum* fixis palis inſidet, unde & nomen trahit.

Upſallia Civitas Archiepiſcopalis, gloriabatur olim & Præſulibus aureis, & Templo magnificentiſſimo, intùs aurò circumquaq; tecto. In lacu *Mos*, ſerpens aliquando apparet, longus cubitos 56. unde ſiniſtri quidpiam augurantur. Littus maris Norvegiam ambientis, obnoxium eſt ba

lænis:

lænis: contra quarum furias utuntur nautæ castoreô pharmacô, quod ubi in mare projecerint, monstra hinc omnia ad fundum seu imum recedunt. *Gothi* audito tonitru olim iaculabantur in Cælum, quasi Diis opitulaturi, quos credebant oppugnari.

Svevia, præstantissima Germanorum à *Plutarcho* appellatur; Reges olim, postea Duces habuit, Provinciarum deniq; liberrima facta, uti Nobilitatis frequentiâ, & splendore excellit, ita variis Principibus & Dynastis gloriatur; non alium Dominũ, quàm Cæsarem agnoscentibus. Virtute & armis, Orbis Imperium promeruit, & illud ultra unius Sæculi spatium magnificentissimè tenuit, inde etiam præter avita & antiquissima Jura summis immunitatibus exornata est. Gens populosa, fortis, audax, bellicosa, procera, ingeniosa & Nobilis prædicatur.

Turci-

Turcicum Regnum in Europa dividitur in septem Begerblegatus: scilicet *Romaniam*, cuius Civitates Principes sunt *Constantinopolis* & *Adrianopolis*; *Bulgariam*, cuius Metropolis *Sophia*; *Besiarabiam*, *Serviam*, cuius prima Civitas *Belgradum*; *Bosniam*, cuius præcIpua Urbs *Bagnaluca*; *Ungariam*, *Turcicam*, cuius Metropolis *Temesvaria*; *Croatiam*, cuius primaria Civitas *Vibasia*. In Græcia Turcæ possident *Albaniam*, *Epirum*, *Macedoniam*, *Achaiam*, *Thessaliam*, *Candiam*, & sex Insulas Archipelagi. Deinde, *Moldaviam*, *Valachiam*, *Tartariam minorem*, *in qua Capha*, *Oczakovia*, *Budźiacum*, *&* *Ragusam*.

Vngaria, Regnorum *Europæ* longè fertilissimum Regnum, rerum omniũ copiâ dives, gemmis, aurô, argentô instructissimum, tantam frumenti & frugum omnis generis varietatẽ profert,

fert, ut Paradyſus planè terreſtri habeatur. Vinô etiam adeò præſtanti abundat, ut ab aliis *Cretico* atq; *Malvatico*, ac *Falerno* æquiparetur, ab aliis, omnibus præferatur, juxta illud: *Non eſt potus, niſi vinum, non eſt vinum niſi Ungaricum.* Animalium tam domeſticorum, quàm ſylveſtrium greges innumeri, turdorum ubiq; ingens, maximè perdicum, phaſianorum adeò numerus, ut una in Urbe ſingulis ſubindè diebus, *Buda* nimirum octoaginta perdicum millia, in foro expoſita *Cuſpinianus* memoret. Piſcium nulla ullibi tanta abundantia & præſtantia, ſturionum maximè & lucciorum, quorum hepar ſeſquiulnam ſubinde æquat magnitudine; ſed & murenis, trutis, pernis, ſalmonibus copioſiſſimi amnes; & *Tibiſcum* fluvium, vulgò binas aquarum partes tertiam verò piſcium habere contendunt;

dunt; multi examnibus etiam auri feraces sunt, unde etiam Ungaria Aureum Pomum dicta, & olim sub Sancto Stephano Rege, *Regnum MARIANUM* nuncupata, ob singularem devotionem erga Beatissimam VIRGINEM. Quare nunc nihil magis dolendum, quàm tam Sanctum & Nobile, ac fortunatum Regnum, ab hostibus Christianæ Fidei impunè in hodiernum usq; diem possideri.

Coronidis locò, huic libro Magistri Doctorum, inter Sanctos sapientissimi, & inter sapientes Sanctissimi *Magni Augustini* impono effatum, tomo 9. librorum suorum de diligendo Domino DEO, sic ordientis.

Vigili curâ, mente solicitâ, summo conatu decet nos inquirere & addiscere, quando, & quâ viâ possimus infernale supplicium vitare, & cæleste gaudium acquirere.

Dile-

Dilectio via est, Charitas excellentissima via est. Quis in hac via est? qui diligit DEUM. Ita S. Augustinus.

Id Sacrâ Prosâ eleganter P. Joannes Nadasi Soc: JESU expressit.

CONSIDERATIO
Pro DIE DOMINICA.

Quo me vocas Æternitas, statera veritatis? Quid me doces æternitas Magistra Sanctitntis? Æternus est, æternus est Rex ille, qui minatur? Infernus est, infernus est res illa, quam minatur.

Æternitas horrenda vox. Loquarnè, num tacebo? æternitas heu longa nox? quidquid vetas cavebo? Quid desides in otijs totos dies iocamur? â blandulis ineptijs, ad tartarum vocamur.

Quid est quid hæc æternitas? æterna pæna damni? Quid est quid hæc æternitas? æterna pæna sensûs. Væ cordibus tepentibus, gulæq; delicatæ, effrenibusq; sensibus, carniq; sordidatæ.

O ira væ? libido væ? impura lingva

væ? væ? væ? væ? væ? manus, theatra væ? væ? Obſcura corda væ? væ? væ? væ? guloſa prandia, cœnæq́; delicatæ; tormenta vobis grandia, pœnæq́; ſunt paratæ.

Væ ſumptuoſis ferculis, fœdis iocis, libellis? parumq́; caſtis fabulis, væ turpibus tabellis? æternitas ô vox atrox? quum mundus obſtupeſcit, æternitas cæca nox, ſomnum vid re neſcit.

Caro, caro, quem decipis, cave tuos amores; in re perenni decipis, & ſeminas dolores? Audi cor; heu quid ſtertimus? ridemus ut fleamus? Caduca ſunt quæ ſpernimus? eamus hinc eamus.

Quot dormientes devorat æternitas ſiniſtra? Eamus ergo quò vocat æternitas Magiſtra.

Pro Feria Secunda.

Heu! naufragis ſolatiis mundus ſuos ſaginat, lethalibus mendaciis, venena dum propinat? Æternitas Cœleſtium, ô

ſancta

ſancta norma morum! & mille mill[e] triſtium vorago ſæcûlorum?

Nugacitatis faſcino torpemus illigati hâc nocte fors vel craſtinâ torquebimu[r] citati. Adhucné non determino, quo m[a]ſta vota verto? infernus abſq; termin[o] me expectat ore apertô!

Me raptat aſtu libero amicus ille ſ[e]cum, heu quàm diu delibero, & lucto[r] ipſe mecum! Heu munde tu me decip[is] blandum tuum clientem, æternitas qu[id] præcipis? habes obedientem.

Sanctis amoris paſſibus, quò me voca[s] abibo: pÿs amoris artibus inſtructus no[n] peribo. O ſulphurata flumina! O vort[i]ces profundi! O ignium volumina, ſtul[ti] ſepulchra mundi? Hæc veſtra ſunt ſ[ti]pendia, caro, ioci, lepores; æterna qu[æ] incendia vobis dabunt dolores? Horu[m] memor fac omnium ut ſit cor abſq; fin[e] Amor piorum cordium, Divine Ser[a]phine. Pro Feria Tertia.

Damna-

Damnate dic: vos quamdiu torquebit ignis ille? torquebit eheu tam diu, dum vivet UNUS ille. Ibunt dies cum mensibus, annisq; sæculisq; Ardebimus nos mensibus, annis, sæculisq; Ardebit ira Numinis per lustra sæculorum; nec spes erit levaminis, nec terminus dolorum; Nunquam DEUM videbimus, amabimusq; nunquam; ach! semper hic ardebimus, amabimurq; nunquam.

Famemus, ignis panis est, glutire quem iubemur! sitimus, ignis potus est, ut hôc inebriemur. Videmus, ignis ater est id omne quod videmus. Jacemus, ignis lectus est, quo perpetim iacemus.

Non sunt polis tot stellulæ, nec Orbe tot arenæ; non sunt maris tot guttulæ, quot hoc in igno pænæ. Æternitas, sed maximus est hic dolor dolorum, quòd non sit ullus terminus tam grandium malorum. Æternitas ô omnium mo rs magna reproborum! interminate tristium

 acerve

acerve ſæculorum! Clamant in illo carcere: O ſi daretur hora! Totus Deo renaſcere; qantum po'es l. bora.

Semper necabit tar arus, nunquam ſed enecabit; ſemper vorabit tartarus: nunquamq; devorabit. Bilance iuſta pondera, hinc ſemper, inde nunquam: ſint cordis iſta pondera, ſat ponderanda nunquam.

Pro Feria Quarta.

Quàm mira, multa, grandia ſcribuntur & leguntur æternitatis gaudia, quibus boni fruuntur? Æternitatis gaudijs at omnibus carebunt, æterna pro ſolatijs tormenta quæ manebunt.

Valete pulchra ſomnia, fluxæq; vanitates, nihil nihil ſunt omnia, aut ſunt inanitates. Hic mundus eſt breviſſimæ ſophiſma vanitatis: infernus eſt duriſſimæ fornax perennitatis. Adverte iudicaberis in Judicis lucernis; ſi ſis reus, torqueberis in tartari cavernis. Ah! quàm diu morabimur inter pericla mille? brevi

brevi

brevi vocabimur; præcessit hic & ille.

O æstuosa æternitas, tu me tene cadentem, semperq́ stans æternitas, tu sublevá iacentem. DEO volo iam vivere in valle lachymarum, volo moras abrumpere, sat est, sat est morarum.

Si quispiam de carcere illo domum rediret, possetnè carni parcere? heu quanta non subiret! quales preces tunc funderet, quas lachrymis rigaret; illisq́ flagra iungeret, corpusq́ perdomaret. Ab inferis si surgerem, à morte si redirem; quid dicerem? qui viverem? nè denuò perirem. O quantô amore amplecterer Te Christe Liberator? Quòd ampliùs non plecterer per Te DEUS Creator.

Pro Feria Quinta.

Ah! plùs amoris, debeo perire non sinenti; quid langveo? quid hæreo? nec reddo cor petenti; Amore flagrantissimo volo sequi vocantem, & corde quàm te-

nerrimò, amare ſic amantem.

Quis fecit ut nè ſim reus, vivamq; corde mundo? quis fecit, ut ſi ſim reus, nè mergar in profundo? Quis fecit, ut nè ſterterem in criminum veterno? mihiq; lectum ſternerem in igne ſempiterno? Ardent in antro flammeo, heu mille, mille, mille! cur ego ſic non ardeo, ut ardet hic & ille? Quis fecit, ut nè traderer ergaſtulo reorum? Quis fecit, ut nè truderer in clibanum dolorum.

Hoc fecit admirabilis Monarcha ſæculorum, & millies amabilis Rex cordium bonorum. Amor DEUS dignatus es amare non amantē: fac ut velim (nam dignus es) amare ſic amantem, Timendus eſt, amandus eſt, qui nos ad hoc creavit; Amandus eſt, timendus eſt, qui tot modis amavit. Quouſq; non amabimus, nugas amando feſſi? quouſq; non amabimus, ſurdo ſopore preſſi? Quid non timenda ſomnia vanô metu timemus?

mus? Heu vana sunt hæc omnia! Amemus nunc amemus. *Ecquid vijs tam devijs cor istud impedimus? nugamur in tam serijs, & seriò perimus.*

Pro Feria Sexta.

Hæc tanta dum considero DEUS, volo Te amare: nec ampliùs desidero, quàm cor Tibi immolare. Tu qui dedisti nè fleam in igne devorante; fac ut beatus gaudeam in igne cor liquante.

Hoc igne crescens Charitas amare me docebit, ac tristis illa æternitas nihil mihi nocebit. Vellem focis maioribus, ardere corde toto, quàm mundus ignes ignibus inflammet orbe toto.

Maiore amore debeo Te corde toto amare, maiore ab igne debeo amando Te flagrare. DEUS volo flammescere prunis Tui caloris; & sic amando crescere incendijs amoris.

Felix DEI dilectio, Tu cor mihi movebis; O pulchra cordis lectio. Tu me

fugam docebis. Tu tolle quidquid impe-
dit, hanc ne fugam capeſſam; Largire
quidquid expedit, hanc ut fugam capeſ-
ſam. Amor DEI Tu diſpice, num quid
mali ſit in me? Amor DEI Tu perfice,
ſi quid boni ſit in me. Quidquid mali ſit
corrige; Amore corrigamur: ſi quid boni
ſit, dirige; Amore dirigamur.

Pro Die Sabbathi.

Mirabiles, amabiles DEI mei favo-
res! O Vos inexplicabiles, O nobiles A-
mores! Vos cor meum perfundite, Vos
pectus occupate; quæ non placent evel-
lite, DEOq́ue me dicate.

Æternus eſt, æternus eſt, quem nolo
mortis ignis; æternus eſt, æternus eſt
quem quæro cordis ignis. DEUS Tu
manum porrige, amare Te petenti, men-
tem benignus erige, amare non potenti.
Volo volo iam ſurgere, fac me magis
volentem; ut plus amem, cor ſuggere,
iuva parùm valentem. Amabo Te quàm

aximis poſſum modis, amabo! ut plus
mem, Te vocibus, Te lachrymis rogabo.
Venite cuncti Cælites, in cor meum
enite; tam pauperi, tam divites veni-
e, ſubvenite. In pectus hoc deſcendite;
ut ardeam iuvate; cor frigidum ſuccen-
dite, & illud renovate.

MARIA Tu ſis Optimi Ignis mihi Mi-
niſtra, quæ cordibus pulcherrimi Amo-
ris es Magiſtra. Tu verba, Tu ſilentiú
meum doce benignè; ſic lingva, ſic ſilen-
tium igneſcat ab hoc igne.

Amoris O incendium, O Chriſte Vir
dolorum! Arctæ vitæ compendium, O
Chriſte Rex amorum! O Chriſte mi, Tu
ſuggere cordi meo dolorem, novaſq;
flammas aggere ut his alas Amorem.
Ah! parce quod deliquerim; ah! parce
iam dolenti! quòd Te DEUM relique-
rim, ignoſce pænitenti. Per iſta Sacra
Vulnera, & Sangvinem fluentem,
rogo meum cor vulnera, abſolve
pænitentem.